DE

RAVISII TEXTORIS COMŒDIIS

SEU

DE COMŒDIIS COLLEGIORUM IN GALLIA

PRÆSERTIM INEUNTE SEXTO DECIMO SÆCULO

DISQUISITIO

IMPRIMERIE D. BARDIN, A SAINT-GERMAIN.

DE

RAVISII TEXTORIS COMŒDIIS

SEU

DE COMŒDIIS COLLEGIORUM IN GALLIA

Præsertim ineunte sexto decimo sæculo

DISQUISITIONEM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

Louis
L. MASSEBIEAU

PARIS
J. BONHOURE ET Cie, ÉDITEURS
48, RUE DE LILLE, 48

1878

DOCTISSIMO VIRO

A. SABATIER

FACULT. THEOLOG. PROTEST. PARISIENS. PROFESS.

L. MASSEBIEAU.

INTRODUCTIO.

Quum multa de recentioris theatri originibus disputata sint, desideratur comœdiarum in collegiis actarum historia. Quas quidem, sed in transitu, Merilius et Magninus præstringunt. Sperandum erat ut a Magnino, utpote recentioris theatri origines copiosius explicandas aggresso, hæc pars consummata disquisitione percenseretur : sed manent interrupta morte opera, quorum vix vestigia quædam, quod ad nostras fabulas attinet, in *diurnis disciplinarum publicarum* [1] delineantur. Ingens damnum et totius theatri et peculiariter harum fabularum historiæ, quam cognoscere operæ pretium est. Diu enim proprio colore claruerunt, nedum ex Romanorum scriptorum imitatione unice constent, ut plerisque videtur, qui de illis tanquam de jesuitarum tragœdiis summatim cogitant. Fuit scholasticis dramatibus per longum tempus forma quæ nihil ab Aristotele Ho-

1. Ann. 1836, p. 68.

ratioque mutuaretur, et qua æqualium mores atque affectus exprimerentur. Latino quidem sermone sæpissime scripta fuerunt, sed quum vigeret apud multos, vernacularum instar, latina lingua. Non hæc igitur ab historiarum scriptoribus atque ab hominibus patriarum litterarum studiosis spernenda sunt, præsertim quum veterum auctorum qui vernaculo sermone usi sunt opera talibus fabulis aliquando suppleantur aut enodentur.

Quod tamen non eadem vi de omnibus populis dici potest. Fatendum est Italos plerumque Plautinæ Terentianæque imitationi inserviisse; sed in Anglia, in Flandria, in Germania, nec non apud Hispanos ac præsertim apud Gallos, fuit collegiorum dramatibus ars propria ac peculiare ingenium. In qua arte Galli eminent; nam facile apparet ab illis Angliam, Germaniam atque Flandriam non unius fabulæ imitationem traxisse : sive nostrates naturæ dotibus argumentorumque inventione præstarent, sive multi exterarum gentium scholastici præceptoresque, quum in parisiensi academia commorati essent, nostra ad suos transferenda utile et jucundum censerent. In Gallia Lutetiæque, præcipua scholasticarum comœdiarum sedes. Quod si nunc inquiratur quo tempore præcipue floruerint, statim Ludovici duodecimi regnum occurret, Franciscique primi pars prior, quibus annis fabularum auctoribus seu vernacularum seu latinarum omnia concessa sunt. Ad hoc quum tunc etiam mediæ ætatis dramatici mores

affectusque permanerent incipiente tamen antiquarum litterarum Renovatione, eæ sunt ineuntis sexti decimi sæculi latinæ apud Gallos comœdiæ, in quibus diversorum temporum, id est desinentis atque nascentis, misceatur ingenium : dignum forte spectaculum cui attendatur.

Perincommode autem accidit ut fluxa plerumque fuerint hæc opera, sive post ludos actos auctorum negligentia evanuerint, sive sequentium annorum hominibus, utpote romanarum elegantiarum amantioribus, barbara ac contemptu digna visa sint : ita ut horum pauca eademque solum manu scripta superesse videantur, quæ studiis non satis amplam materiem præbeant.

Rarum igitur atque optandum si favente fortuna quædam hujus ætatis comœdiæ servatæ fuissent. Exstant autem unius auctoris quinque et viginti dramata, ex anno circiter 1500 usque ad annum 1520 acta, idque in gymnasio Navarræ, quod ad scholasticas comœdias pertinet, notissimo. Varium est horum genus : inter quæ religiosa, satirica, comica, historica numerantur. Quo magis mireris, non in chirographis latuerunt, sed etiam atque etiam usque ad medium septimum sæculum typis mandatus est in quo continentur liber, qui nescio quo modo de re scenica scriptores fallere potuerit. Verum est huic libro non Comœdiarum sed Dialogorum nomen suscriptum esse, at quis nescit in Media Ætate sæpenumero et gallica dramata sub

DE

RAVISII TEXTORIS COMŒDIIS

SEU

DE COMŒDIIS COLLEGIORUM IN GALLIA

PRÆSERTIM INEUNTE SEXTO DECIMO SÆCULO

DISQUISITIO

Sciunt tamen eruditiores homines nostrum, licet Erasmo incognitum, inter eos fuisse qui Erasmi temporibus conati sunt apud Gallos « aliquid melioris litteraturæ invehere[1]; » eumdemque, pro parte virili, scholasticis quibus bibliothecæ deerant præbuisse ingentem ut ita dicam, antiquarum rerum supellectilem, in libro qui *Officina* inscribitur, ad imitationem Philelphi scripto. Hoc titulo laudatur Ravisius a quibusdam qui aut eum fortasse nunquam legerunt (sicut Creverius[2] cujus clementior sententia de nostri, ut ait, emendato elegantique sermone a Vitarum scriptoribus quasi dictata recantatur) aut si legerunt factione quadam extollunt, sicut Launoius qui Textorem augendo, et ipsi Navarræo gymnasio cujus scribit historiam, favet[3]. Quidam contra hujus ætatis ignorantiæ obliti Textorem contemnunt, quorum numero *La Monnoye*[4] cui si credis « nunquam Ravisius inter bonos scriptores numerandus fuit, cujus operibus quasi sepulturam præbet perexiguorum collegiorum ac vacuarum tabernarum pulvis. » Consideratioris certe judicii Hallamius : nostrum enim mentione quadam dignatus est, ut de latinis litteris bene meritum, numerandumque tamen inter eos qui, licet æqualibus suis maximam navaverint operam,

1. Erasmi vita, Erasmo auctore.

2. *Histoire de l'Université de Paris*, t. IV, p. 443.

3. Launoius, *Regii Navarræ gymnasii parisiensis Historia, pars* II, cap. IX, p. 644. — Fuit quoque magni nominis apud Italos, teste *Ghilini*, cui si credis, anno 1633 scribenti, *Officina* « va continuamente per le mani de' studiosi ingegni con loro indicibile benefizio. » (Teatro, pars II, pag. 153.)

4. Apud Baillet, *Jugements des savants*, t. II, p. 264.

mediocrem posteriori ætati quæ doctior evasit opem ferant[1]. Sed de Textore ut de erudito homine satis dictum: fabularum auctor in lucem nobis dandus est, utpote minus cognitus, dignus tamen qui cognoscatur. Quem omnino prætermissum jacuisse dixissemus, nisi nobis jam hoc opusculum retractantibus, sagacioris viri *Ph. Chasles* occurrisset commentatio de duobus Textoris comœdiis[2]. Nobis tamen ex insperato rem pæne intactam reliquit, non solum quod duo tantum dramata eademque forsan ex chronographo quodam cognovit, sed quia rem primoribus labris attigit, ita ut paucis quæ de nostro scripsit immixti sint quidam errores, quum tamen urbanæ sententiæ atque sales undique scateant.

Ante tamen quam de Ravisii comœdiis inspiciatur, pauca de ejusdem vita, Bulæo imprimis Launoïoque testibus, memoranda sunt.

J. Ravisio Textori Nivernensi (anno 1480 nato Sanctæ Salviæ[3]) ut totus Navarræus fieret hoc unum defuit quominus in gymnasio Navarrico nasceretur. Nam patruum qui in hoc collegio grammaticorum hypodidascalus exstiterat ludimagistrum habuit, ipseque in grammaticorum societatem haud multo post ascitus est. Ibi ab Oliverio Lugdunensi qui primus cultioris latinitatis studium intulit in Navarram expolitus, a Petro

1. Hallam, t. I, p. 350.

2. « Les Gloires perdues. — Une comédie jouée au collége de Navarre en 1510 » (*Revue de Paris*, 9 janvier 1842). Cujus disquisitionis Catalogus de *Soleinne* nos admonuit.

3. V. Gouget, Bibl. franç., in-12, t. VII, p. 18, 19.

Corbelino Joanneque Textore[1] ingentis tunc famæ viris (credite nunc gloriæ) auctus et locupletatus, quum e discipulo magister evasisset primam rexit classem in eodem collegio, anno 1500[2], atque eodem anno rector Universitatis exstitit. Quem ne nimis mirentur adolescentem in tantam dignitatem provectum, trimestris hic honos nunquam extra Facultatem artium ac sæpissime rhetorices professoribus conferebatur. Qua gravitate hunc magistratum gesserit nescitur, quum plerumque vafer ac turbulentus omnia naso suspenderet adunco. Talis apparet in *Epistolis* quas discipulis dictavit, spuriæ sane latinitatis, pace tot doctorum virorum dixerim, sed fescennina interdum festivitate insignibus. Talis in vita; nam Petro Viterio collegæ suo obstitit, « seque non dubitavit nominare in beneficiis ad præsentationem, ut Bulæus ait[3], episcopi et capituli Nivernensis. » Mortuus est anno 1524, nec verisimile est in publico valetudinario hunc decessisse ut quidam aiunt[4]; nam « in navi ædis Navarricæ sepultus est cum epitaphio[5] » cujus primum versum protulisse sat erit :

Vitæ immortalis Textor sibi texere telam, etc.

Exstat et alterum epigramma cujus auctor Epistolarum lectorem consolari adoritur, quod cesserit fatis vir, ut ait, immortali vita dignus :

1. Laun., pars II, cap. IX, p. 644.
2. Bul., *Hist. Univ. Paris.* t. VI, p. 976.
3. *Ibid.*
4. V. La Monnoye, *Annotationes in Baillet* (*Jug. des sav.* t. II, p. 264).
5. Bul., VI, p. 957

Quid tantis luges lacrymis? cur impia clamas
Numina? Textorem sic periisse putas?
Num periit clausa, quem fovent sidera, sorte?
Desine, Textoris molliter ossa cubant[1].

Non fit vulgo tanta querela de his qui fesso corpore in publico valetudinario decedunt.

Scripsit Epistolas, Specimen Epithetorum, Officinam atque ejusdem Epitomen Cornucopiam, Præfationes quæ legentibus nobis jactantiori nec non putidiori eruditione redundare visæ sunt; Elegantium (ut ei placet) Orationum librum ac in Anglum et Romanum libellum, quos a Launoio commemoratos[2] nunquam ipsi vidimus. Numerandi denique Dialogi, nostra provincia.

Operæ pretium est manifestum ostendere hunc librum constare dramatibus quæ revera in scenam inducta fuerunt, nec dialogis quibus auctor, in « musæolo » quietus, genio indulserit. Sed primum pauca dicantur de principe (ut perhibent) hujus libri editione, in qua nonnulla animadvertimus occulta, lectorumque cura digna.

Postuma est hæc editio quæ, Textore jam duodecimum annum mortuo, in manus hominum data fuit, anno 1536[3]. Nullus est inter librorum peritos cui non

1. Sub fine *Epistolarum*.
2. Laun., t. II, p. 645.
3. Hæ Dialogorum editiones a nobis cognoscuntur :
1° « Dialogi aliquot Joannis Ravisii Textoris Nivernensis mendis « compluribus repurgati, studiosæ juventuti non minus utiles « quam jucundi. Adjecta sunt animi gratia ejusdem epigrammata

visa princeps fuerit. Errant hi tamen omnes, quod primum ex ipso libri titulo patet, dialogos scilicet prædicente multis mendis repurgatos; ac deinde ex editoris verbis : « Habes, Lector candide, aliquot dialogos e numerosa tot tantarumque editionum turba selectos. » Quem enim latet Textori hunc animum certe fuisse ut fama vivus frueretur? At ibidem dicuntur nescio qua causa hae priores editiones « non tam in manus hominum prodiisse » quarum certe nulla investigantibus nobis occurrit. Harum forsan meminit Launoïus quum, Textoris opera dinumerans Comœdias ac Tragœdias seorsum ab dialogis inscribit; quo fit ut libenter credam multa dramata separatim, ut unumquodque in scenam inductum fuerat, typis mandata, usu ac manibus hominum periisse.

Utcumque se res habuit, hoc anno 1536 hinc opportunum inde alienum tempus erat ut denuo typis mandarentur hæc opuscula. Alienum, si animadvertas Franciscum primum, ex quo conscriptæ a Lutheranis

« aliquot non inutilia. Parisiis, apud Ambrosium Girault, 1536, « in-8o, Bibl. nat.

2o Iidem « Parisiis apud Joannem Macæum, 1536 » (eadem editio), in-8o Bibl. Maz.

3o Iidem « Parisiis apud Mauritium de Porta, 1542 » (eadem editio), in-8o, Bibl. Arsen.

4o Iidem « Parisiis apud de Marnef, 1580, » in-16. Bibl. Maz.

5o Iidem « Rotterodami ex officina Arnoldi Leers 1651, » in-12. Arsen. et Maz.

Præterea, animadvertendum commemorari in Catalogo dicto *de Soleinne:*

6o « Apud Jacobum Stoër, 1609, » in-8o.

tabulæ ad proprii cubiculi januam suspensæ fuerant (1534), typographicæ artis libertatem arctius cohibuisse, præsertim quum de libris ageretur satiricis aut quorum causa religio derideri posset. Opportunum autem si credas editores, seu Lutheranorum novitatibus faverent, seu, Pererii instar *Cymbalum mundi* eodem anno scribentis, quæcumque sacra, ut similius veri est, contemnerent, alacriter talibus dramatibus usos fuisse ad catholicæ ecclesiæ ludibrium. Nam Ravisius, quamvis hanc ecclesiam, cujus pars erat, nullo modo insectari vellet, haud pauca tamen, æqualium more, in sacerdotes scripserat : idem præterea cum dæmonibus angelos in pulpita traduxerat, plerumque simpliciter et extra jocum ; sed hæc post triginta annos ridicula videri poterant, quum jam Lutherani *Mysteriis* illuderent. Editori autem, omnia ob intermissum tempus non intelligenti, comica videntur quævis Textoris dramata dignaque quibus adolescentium lasciviant et exhilarentur animi. Quocirca nobis hic liber videtur satirica mente denuo in vulgus emissus.

Sed quum jam, ut ita dicam, carcer J. Morino qui *Cymbalum mundi* proximo anno typis mandavit pararetur ; quum finis sponte sumptus Pererium, rogus autem Doletum maneret, cauto opus erat ut dialogorum nostrorum malevoli editores ab omni periculo abessent, quod in eorum votis fuisse videtur. Id solum igitur ausi sunt quod impune audendum putaverunt. Primum quamvis præclaro Navarrici præceptoris nomine, ipsiusque Navarræ, scilicet catholicæ fidei arcis fama tegerentur, dialogos epigrammatibus variisque poematibus in-

ordinate miscuerunt, idque consulto, mea quidem sententia, licet culpam chalcographo tribuerint. Præterea (rem majoris momenti) comœdias in quas maxime Textoris satiricum ingenium se effuderat non dubitaverunt demere « longe majora Textoris et temere non communicanda » sibi esse dicentes. « Scripsit, inquiunt, Ravisius belle et docte quam plurima in hoc genere, sed quæ neque audierit quisquam libere, neque in tuto legere possit, per temporum impietatem : adeo multum est negligens et verius irritata in bene audiendo præsentium hominum conditio. » Nunquam postea in lucem prodierunt omissæ tum tales satiræ, quarum minima spes est fore ut unquam reperiatur exemplum.

Nunc de his editoribus (si quæratur qui tandem fuerint), fatendum rem a nobis non totam expediri potuisse. Quatuor viri edendo volumini interfuerunt. Quorum unus gravis in re et amplus homo, recondita Ravisii liberiora scripta domi suæ servat, horum tamen participem facturus Mæcenatem in cujus nomine vulgatur liber. Idem « per otium sarturam faciet omnium dialogorum Textoris, ad rem ab auctore velut hæres relictus, ejusque opera sub æstatem publica fient sua serie quæ nunc apparent alia aliis implicita. » Nihil tamen ipse talis Aristarchus in libro scripsit præter hexasticon ad communem Mæcenatem. Collegæ eum laudant ut « eruditorum hominum eloquentissimum, eloquentiumque eruditissimum » Henricumque Laberium vocant. Cujus Laberii vestigia diu frustra conquisivimus. A collegis ut comœdiarum auctor nuncupatus inque alienas comœdias intentus, nobis Laberii qui

Romæ mimos scripsit et egit nomen usurpasse visus erat, ut qualis at non quis esset ostenderet. Sed jam spe destitutis obvenit jocosum aliud carmen ab eodem Henrico Laberio, anno 1522 non factum quidem sed editum[1], ita ut in lucem faceta cæterorum opera proferenda sibi provinciam hic assumpsisse videatur. Quod Guilielmi Savigniani epigrammate confirmatur :

Jure tibi referunt, Laberi, sua mistica, vates.
Te doctum merito tota poesis amat.
Cur? quoniam, duce te, sacris e vatibus unus
Qui latuit longo tempore, comptus adest.
Prosequere atque tui profer monumenta laboris;
Hic astricta tibi tota poesis erit.

Talia de Laberio quem tantum scimus facetiarum non semel editorem, annoque 1522 Turonensis archiepiscopi clientem et cujusdam H. Domestici præceptorem fuisse[2]. At de Ludovico Fabro Parisiensi et Nicolao Ambianensi quorum alter in Ravisiana editione nuncupationem alter ad Lectorem nonnulla scripsit, nusquam alias mentionem illatam vidimus. Nam nihil hic cum Nicolao Reginaldo chronographo, calvinista quidem sed nato Aquis Sextiis.

Mæcenas autem ad quem liber mittitur, Joannes

1. « Homeri Βατρ. seu bellum ranarum in mures per Elisium Calentium latino sermone donata, et emendata per Henricum Laberium Nuncurianum. Parisiis in officina Joannis Gormontii, 1522. » Bibl. nat.

2. *Ibid.* V. Epistolam « dignissimo et imprimis reverendo Patri D. Martino de Belna Turonensi archiepiscopo. »

Morinus, « prætor » ut volunt, clarissimus. Scitur Morinos multos fuisse, seu Burdigalæ seu Lutetiæ magistratus, haud secus ac Bragelonii qui et in epistola ad Morinum commemorantur. Cæterum legimus apud Bulæum[1] Joannem Morinum quemdam fuisse, anno 1523 vices gerentem Baillivi conservatoris privilegiorum Universitatis Parisiensis[2]. Ut ut sit res, liquet tamen de magistratibus hic agi quorum multi novitatibus occulte faventes, scriptoribus audacioribus præsidio essė poterant. Nec dubium auxilii causa Joannem Morinum in locum Mæcenatis esse electum, quem Ludovicus Faber in fine epistolæ sic alloquitur : « Interim patrocinandum tibi est doctis hominibus : quos per omnem vitam adamasti vehementissime, ab injuria fortissime defendas. »

Quibus verbis apparet non sine quodam metu et satirica mente emissos fuisse ab obscuris mentitorumque forsan nominum viris hos dialogos. Quæ quum ita sint, minime mirum si non liqueat alicui a Textore ipso scriptos fuisse. Qui vero, sine miraculo quodam audaciæ, usi essent editores nomine viri cujus memoria nondum exstincta, et cui sine dubio multi supererant amici, fraudis facile detectores atque vindices? Ad hoc, Ravisii festivitas talibus fabulis idonea nota erat, idemque, teste Launoïo, dramata scripserat quæ discipuli quum egissent sine dubio non penitus obliti erant.

1. T· VI, p. 154.

2. Fuit etiam anno 1534 quidam Joannes Morinus *lieutenant criminel* ut Galli dicebant, et qui Lutheranos anno 1535 insectatus est. Qui si idem fuerit ac conservator privilegiorum Univ. non liquet.

Quid? quod anni 1536 geminam editionem aliæ secutæ sunt, et Parisiis ab anno 1542 usque ad annum 1609 et Rotterodami anno 1651, quum nunquam, sive in sexto decimo sæculo sive postea ullus inter librorum peritos in dubium hoc opus vocaverit? Ante omnia, dicendi genere, sensibus, fabularum forma, unoque verbo singulis rebus verus nostris comœdiis color apparet. Non anxia disquisitione, dummodo legantur, opus erit, ut quinti decimi sæculi genuinum ingenium agnoscatur, omnino dispar Vulteii, Doleti cæterorumque politioris ætatis poetarum carminibus: de quo per se brevi qui nostram disputationem evolverit, judicium ferre poterit.

Sit igitur ipsius Textoris liber. Nunc requirendum an hæc opuscula quibus simplex Dialogorum titulus inscribitur reapse in scenam delata sint. Argumento nobis erit neque latius excurrens multorum dialogorum amplitudo, neque dramatica species, nec nomen quidem comœdiæ ab auctore passim inscriptum. Majoribus testimoniis uti licet. « Spectatores » enim auctor, sub fine cujusque dialogi quid moneat fabula docet. Aliquando ad eosdem spectatores alludit:

> Thraso recedamus, quoniam brevis hora recedit.
> Contenta est nostris tota caterva jocis[1].

Præterea e quibusdam locis colligi potest has comœdias non solum coram scholasticis sed adstante virorum dignitate insignium frequentia actas fuisse. Legimus enim sub fine *Contemptoris Mundi :* « Nunc ne verbis

1. F. 184.

majoribus aures vestras oneremus, *viri percelebres*, talem præcedentis dialogi ponimus conclusionem[1], » etc.

Easdem ab ipsius Ravisii discipulis actas fuisse hoc disticho demonstratur :

Sic igitur clausa est *primæ* sententia *classis*.
  Hoc speculum mortis *lectio prima* dedit[2].

Sed quomodo res se haberet, pluribus ac satis dilucide explanabit dialogus quidam, cui titulus : *Lectio quarta Navarræ, Calliope, tres discipuli*. In quo enim a Calliope quæ Prologi partes gerit monemur, quotannis theatrum, stato festoque die, in Navarrica aula exstrui cantibus resonaturum atque jocis.

Gaudeo quod cithara ludit redivivus Apollo
  Et priscos reparet docta Minerva jocos.
Nec me majori titillant gaudia plausu
  Nec magis arguta gestio lætitia
Quam quum suavidicis video resilire theatrum
  Cantibus et lepidis cuncta sonare jocis[3].

Quæ spectacula ei Græcis digna videntur quum

Pars cantu tragico vilem adspirabat ad hircum,
  Dedita liventes pars erat ad satiras.

Carminis enim legibus implicari solebant hæc dramata, quamvis haud pauca noster soluta oratione scripserit. Scitur Lutetiæ, ab Mediæ Ætatis temporibus,

1. F. 142.
2. F. 142.
3. F. 88.

Artium Facultatem versibus favisse mirum in modum, ita ut, ars Phœbi plausu fovenda, si unus hic dialogus inspiceretur, præcipua talium spectaculorum fuisse causa videri posset.

Nunc etiam tantis resonat concentibus æther,
Tam lepidum spargit fusilis aura melos,
Totus ut in media videatur Apollo Navarra
Constituisse suæ jam pietatis opus.

Nos eadem Calliope docet hos ludos prima, secunda, tertia, nec non quarta lectione celebrari, atque haberi antiquissimos.

Antiquos veterum corrumpere leges
Non licet et solitos nunc sepelire jocos...
Ne solitos videare jocos sepelire Navarræ,
Majorumque sacras destituisse vias...
Surgite, ne priscum videamur frangere morem, etc.

Nunc si quæsierit aliquis in quo tandem festo die hi ludi, majorum consuetudine sacri, celebrarentur, facilis ex eodem carmine atque ut ita dicam oraculo responsio dabitur.

Cur non ridebas, aliarum more sororum,
Dum fuerat lepidis plena Navarra jocis?
— Quando? — Dum regis Lodoici nobile festum
Traxerat huc tetrica tot gravitate viros.

Loquitur hic Calliope de Sancto Ludovico cujus festum, ex Parisiensis Academiæ decreto, ab anno 1369 in Navarra celebrabatur. Hoc enim anno, ut mos lege confirmaretur, jusserat Academia, tali die, de sancti

Ludovici rebus gestis « collationem » in perpetuum faciendam apud Navarricum collegium « in cujus sancti honore capella tam solemnis dicti collegii principaliter est fundata, ubi locus aptissimus ad sermones fiendos, grandisque valde studentium multitudo[1]. » His sacris aderant multi *viri percelebres* quibus haud semel allusit Textor, iisdemque post concionem lautum instruebatur prandium « in theologorum aula. » Erant autem inter convivas « cancellarius Franciæ, præsides Parlamenti et cameræ Compotorum, dominus thesaurarius Franciæ[2], » ac forte Parisiensis episcopus qui sacris operari solebat. Ludi jam ante epulas celebrari incipiebant et post epulas repetebantur, quod conqueritur *Lectio quarta Navarræ;* nam prima recitare non potuerat quia

Cuique suo dandus ordine circus erat.

Itaque exclamat :

Vel deus est quum spumant vina cerebro,
Et somnum saturi sarcina ventris amat?
Impleti ventres post fercula non nisi lectum
Et plumas quærunt Sardanapale tuas.

Jam liquet Textoris dialogos sancti Ludovici die actos fuisse. Sed eosdem sine dubio in pulpitis alias sonuisse apparebit, si pauca de scolaribus comœdiis dixerimus, quales in Gallia fuerint, Ravisii tempore et ante Ravisium. Quo facto nostri dramata commodius exponentur.

1. Laun., t. I, p. 72-3.
2. Laun., pars I, p. 186.

CAPUT II

DE COMŒDIIS COLLEGIORUM IN GALLIA RAVISII ÆTATE NEC NON ANTE RAVISIUM.

In quibusdam Europæ regionibus vere latinarum litterarum studio conduxerunt promovendo gymnasiorum comœdiæ. Præsertim apud Germanos (ut sileantur Itali qui plerumque vel Romanas vel ad Romanarum effigiem scriptas fabulas extraque gymnasia in scenam inducebant) utiles mature visæ sunt hæ comœdiæ ad latinum sermonem ediscendum, auferendamque, ut aiebant, linguæ stribliginem ac rubiginem[1]. Nam quum in illorum Academiis, nominatimque Heidelbergæ, talia dramata, teste *Manuali scholarium*[2], in quinti decimi sæculi priore parte aut incognita aut saltem rara fuisse videantur, utpote theologis indigna, atque scholasticorum in Germania rusticitas aut putida *beanii depositione*[3] aut cloacarum purgatoribus conturbandis[4], aut

1. Nam si in ea agenda exercearis sedulo
Linguæ auferas stribliginem ac rubiginem.
(Macropedii, Andriscæ prologus.)

2. Anno 1480, primum typis mandato et quod recentius edidit Zarncke in *Die Deutschen Universitaeten im Mittelalter*. Leipzig, 1857.

3. Man. Scholarium, p. 4.

4. V. Libellum formularem Universitatis Lipczensis, editum a Zarncke, op. laud., p. 175.

ut majora proferantur, ursorum pugnis joculatorumque vitreis imaginibus[1] contenta diu fuisset; quum præterea scholastici apud eos præceptoresque de satiris adeo non cogitarent ut, renovatis ad exemplum Italiæ litteris, sæpe coram principibus colendorumque principum gratia luderentur fabulæ, non ægre apud Germanos evasit sine asperis facetiis antiquarumque æmulatrix elegantiarum comœdia. Interdum *Moralitatibus*, quarum hæc ætas amantior, indulserunt, ea tamen lege ut ex græcis mythis argumenta atque morales personæ depromerentur.

Igitur sub fine quinti decimi sæculi aut propalam recitatæ aut in scenam inductæ sunt Heidelbergæ, Friburgi, Ingolstadii, Argentorati atque in aliis locis latinæ comœdiæ quarum inter auctores clarescunt Vympfelingius, Philomusus, Capnio, Conradus Celtes, Bebelius, Sebastianus Brandt. Horum primus Vimpfelingius Stylphonis haud insulsam fabulam, solutaque oratione in laudem Universitatum exaratam, anno 1470, Heidelbergæ, « dum vice cancellarium gereret ad licenciandos quosdam recitavit[2]. » Idem Philippica seu « dialogos sex pro institu-

1. Man. schol., p. 43.

2. Teste Eucharii Gallinarii Brethemii qui hanc comœdiam edidit epistola Bertholdo Kyrsmanno de Horb philosophiæ magistro. — Stylpho Jabobi Vympfelingii Sletstatini, in-4°, s. l. et a. (Bibl. nat.) — Cujus opusculi sub fine : « Valete et plaudite. Jac. Vymp. Slet. recensui anno Christi MCCCCLXX. »

Fabulæ argumentum. « Duo quondam conterranei ex scholis particularibus Vincentius ad universitatem Stylpho ad Romanam sese curiam receperunt. Vincentius jurium litteris invigilans Palatini

tione filiorum Philippi Electoris Palatini » Heidelbergæ quoque, coram principe aulicisque, a quibusdam scholasticis recitandos curavit [1]. Celtes autem coram Maximiliano Romanorum rege sponsaque ejus Blanca Maria exhibuit Ludum Dianæ (1500) [2]. Philomusi sunt Sebastianique Brandt inter cætera *Moralitates :* quorum prior in Judicio Paridis, tribus deabus vitam, ut ait, contemplativam, activam ac voluptariam repræsentat [3]. Virtu-

principis primum cancellarius deinde præsul et antistes evasit. Stylpho ex urbe profectus saccum bullis apostolicis et processibus plenum asportabat. Et eadem forte tempestate uterque communi fuit in patria. Vincentius illuditur; magnificatur Stylpho, cujus tamen gratiæ nil roboris sortiebantur : qui per ignorantiam coactus renuntiare bullis demum pascendorum suum provinciam suscepit. »

Excerpta e prologo. « Obsecro etiam humanissimos patres ut hos jocos salis expertes in hac jejunii tempestate quæ serio gravitateque potius egeret, æquo auscultent animo. »

E fabula ipsa excerpta vide quædam cap. IV.

1. *Philippica,* Argentor. 1498, in-4° (C. Schmidt).

2. « Ludus Dianæ in modum comœdiæ coram Maximiliano Romanorum rege kalendis martiis et ludis saturnalibus in arce Linliana Danubii actus : clementissimo rege et regina ducibusque illustribus Mediolani totaque regia curia spectatoribus. Per Petrum Bonomum regium cancellarium, etc., feliciter et jucunde repræsentatus. — Impressum Nurimberge MCCCC » In-4°. Bibl. nat. Cujus finis :

Maximiane vale, valeas jam Blanca Maria.
Jam repeto sylvas ipsa Diana meas.

in qua comœdia, Diana, Mercurius, Sylvanus, etc., regi reginæque matrimonium gratulantur.

3. Catal. *Soleinne.*

tem alter Vitiumque induxit Herculem hortantes (1512)[1], ita ut vere ex antiquitate moralium dramatum genus repeti possit. Interea Reuchlinus seu Capnio celeberrimam Pathelini fabulam a Gallis mutuabatur (1497)[2], sic tamen ut eam antiquo Plautinoque more circumvestiret. Igitur talibus ludis serio ut ita dicam impigreque incumbebat, ineunte sexto decimo sæculo Germanorum auctorum cohors, antiquis carminibus recentiora argumenta exornans, utilesque adolescentium studiis addens stimulos.

Interim vero in Gallia fuit scholasticorum dramatum genus, sive ob vetustatem originis apud nostrates, sive ob gallicum ingenium, nunc quædam « mortis meditatio, » nunc facetiarum satirarumque congeries. Nam quum latinorum verborum elegantiæ Germani insudarent, nostri, libero impetu, mendosaque medii ævi latinitate utentes, vernaculi sermonis comœdiis æmulabantur. Quumque, progredientibus annis renovarentur studia, sæpius latinæ exercitationis obtentum interposuerunt scholastici Parisienses ut liberius præceptores suos, optimates, sacerdotes ac regem ipsum cavillarentur. Tunc enim ea dramata, utrovi sermone

1. « Teste C. Schmidt in theologiæ facultate Argentorati quondam professore, doctoque de Joanne Sturmio inter cætera disquisitionis auctore qui mihi non dedignatus est scribere: « En 1512, Sébastien Brandt avait fait représenter à Strasbourg, par des jeunes gens, une espèce de comédie latine sur Hercule sollicité à la fois par la Vertu et la Volupté. Cela ne paraît pas avoir été publié. » (Mense aprili, 1876.)

2. *Scenica progymnasmata* Basileæ, 1498, in-4o. De quibus ut notissimis nihil addendum.

scripta, atque in quibus, ut scitur, Bazochiana eminent, vicem præstabant, antea præsertim satiricis carminibus, postea vero [1] politioribus circulis at nunc diurnis expletam. Quippe quæ liberam vulgi vocem emittebant, sed plerumque asperioribus dicteriis.

Raro scholastici, sæpius autem præceptores latinarum fabularum auctores erant, sed recentes ab adolescentia præceptores, quibus tumultus atque turbæ, conviciorum et plagarum strepitus ante omnia placebant [2]. Quibus erant pro histrionibus scholastici qui fabulam nimis per se jocosam frustraque « visitatam ad unguem [3] » frequenter salibus augebant ex tempore fusis. Tales comœdiæ (quod extra fidem esse videtur) more ac ipsorum præceptorum utpote auctorum præsidio tectæ, Facultatem Artium adeo non inimicam habebant, ut anno 1521, « quum N. Beda theologiæ Facultatis syndicus questus esset factam sibi injuriam in comœdia collegii Plessiaci, » tribusque cæteris Facultatibus visum esset abolendos esse ludos, eosdem Facultas Artium tutata sit, cujus opera ac beneficio tantum ab Academia decretum est « ut nullus auderet in sanguinem regium dicere [4]. » Vanam certe prohibitionem ! Ipsa enim Navarra theologiæ arx, scholasticisque plena sacerdotibus haud raro quadraginta annos natis, locus diu fuit insignis petito, ut aiebant, regio sanguine. Redundant Parisiensis Universitatis annales

1. In octavo decimo sæculo.
2. V. Quicherat, *Histoire de Sainte-Barbe*, passim.
3. Bul., V, p. 783.
4. Bul., VI, p. 132.

questibus Parlamenti in istum morem, decretisque Academiæ, quæ fulmen alumnis minabatur tetrico vultu, sed, alma mater, assiduis minis contenta erat [1]. Ludovicus duodecimus quum Bazochiæ *Stultæque matri* faveret, utpote auxiliario adversus papam Julium II exercitui, idem latinos et scholasticos aureis stimulis auxit impetus, quod Fausti Andrelini testatur exemplum; credimusque Ravisio haud secus ac Gringorio eum usum fuisse. Quo regio flatu adeo conviciorum tractus increvit ut non sine Francisci primi quadam sævitia frenari postea potuerit.

Præsertim in festis B. Martini, B. Catharinæ (cui altare in æde Navarrica sacratum erat) nec non B. Nicolai, qui omnes studiis per totam Europam patrocinabantur, agebant has comœdias, sive religiosæ forent sive satiricæ. Jam B. Ludovici dies memoratus, talibus ludis inclytus in Navarra: adjiciendus quoque sine dubio B. Guillelmi dies, scilicet Gallicæ nationis patroni, cujus « solemnia » in eodem collegio non minore amplissimorum virorum concursu celebrabantur [2]. Nec non in eumdem usum (quod facile conjici poterat) usurpati « nationum, provinciarum, diocœseon ac cujusvis collegii festi dies [3]. » Sed inter omnia eminebat « solemne Regum; » tuncque luxus, festivitas, dicteria tanta vi moris scatebant et erumpebant ut quum cætera festa non semel abolevisset Academia, semper extra

1. Bul., passim.
2. Laun., passim.
3. Bul., V, p. 782.

duram legem Regum dies fuerit[1]. Igitur cum Magnino Merilioque, ludorum hujus diei originem ex Romanis Saturnalibus facile repetam, utique quum in quibusdam Europæ regionibus ac præsertim Coloniæ in Germania mos antiquissimus esset, in convivio hujus diei varia magistratuum dignitatumque nomina sorte inter convivas distribui[2], sine ulla famulorum ancillarumque exceptione, ita ut ab universa familia dramatis quoddam genus ageretur. Et Germanicis Academiis non absunt in Saturnalibus ludi aut (ut aiebant) in Bacchanalibus acti ab anno 1500[3], quos tamen ad Gallicorum imitationem suspicor datos.

Apparatissimæ gymnasiorum comœdiæ, quacumque die actæ fuerint. Non solum enim coram præceptoribus scholasticisque ex omnibus collegiis undique concurrentibus habebantur, sed coram frequentia hominum quibus omnia spectaculi genera voluptati erant, et quorum indoctiores pantomimico gestu plura intelligerent. Exstructum in aula collegii theatrum variis tapetibus haud secus ac ipsa aula exornabatur. Scenici, quo melius aulicorum, episcoporum, militum partes agerent,

1. Bul., passim.

2. Schottennii colloquia Lugduni, 1545, p. 31. « Sortiuntur dignitates chartulis pileo impositis. — Suntne omnes inscriptæ litteris? — Sunt et quidem nominibus magistratuum. — Adest etiam reginæ scriptus titulus? — Est sed vel matri vel ancillis vindicatur, » etc.

3. Vidisti jam *Ludum Dianæ* ludis saturnalibus, ut fert titulus, actum. Commemoratur etiam in Catalogo dicto *de Soleinne*, *Ludus ludentem ludens in Bacchanalibus Lypsiæ omnibus ludendum*, 1530 (n° 289).

relictis pannis sericas ac purpureas vestes induebant, magno paratas. Quibus sumptibus haud semel obviam eundum fuit, nam libri omniaque a scholasticis venumdabantur ut præstaretur quod impensæ factum erat. Itaque, anno 1488 « statuto » Facultatis Artium « prohibentur omnino vestes et indumenta quæcumque de Livreta, sive serico sive de panno, quacumque occasione composita, sive ad honorem et comitivam Regis, sive ad ludum facetiarum et fatuorum, aut etiam quæcumque pretiosa indumenta, sive locagio sive mutuo accepta, *nisi sint necessaria ad qualitates personarum adjici comœdiæ*... Permittitur unus mimus et ad summum duo in prædicto festo Regum... et prohibetur omnino ne occasione mimorum sive facetiarum, aut aliarum expensarum pro festo aliqua pecuniæ summa quantumcunque parva exigatur, aut etiam recipiatur a juvenibus scholasticis gratis oblata, præter spontaneam et moderatam Regis oblationem ac pecuniam noviter venientium qui vulgo Bejauni nominantur, quæ pecunia Bejaunorum recipi conceditur juxta antiquam et laudabilem Facultatis permissionem[1]. » Tali decreto monemur *marmoreæ mensæ* spectaculis scholastica nequaquam imparia exstitisse, quod ad magnificentiam coronæque frequentiam attinet, quum ipsæ fabulæ citra linguam, sæpe Gallicarum simillimæ fuisse videantur.

Tales erant Parisiensium gymnasiorum ineunte sexto decimo sæculo comœdiæ, quarum vestigiis retro instare licet, Facultatis Artium decreta Parlamentique inter-

1. Bul., V, p. 782-3.

cessiones apud Bulæum observantibus et usque ad annum 1275[1] sic regredientibus quasi ad originem. Sed multo longius respicere fas est.

Forte quæretur an omnes collegiorum fabulæ latino sermone scriptæ fuerint. Certum est gymnasiis, quæ postea vernaculum sermonem horruerunt, in media ætate quædam gallica dramata admissa fuisse. Quod testantur duæ *Moralitates* annis 1431 et 1426 actæ in Navarra. Harum unam gallicis versibus scriptam fuisse monet Bibl. Nat. catalogus manuscriptorum, numero signatam 7218. Neutram vero mihi videre licuit, quamvis anxie conquisitam, falsis nempe signatam numeris. Felicior videtur fuisse *Lebeuf* si ex Mercurio anni 1729 (p. 2985) judices. Felicior et ille cui in octavo decimo sæculo, texte Catalogo *de Soleinne*, harum *Moralitatum* alteram ex manuscripto 7218 describere contigit. A Magnino autem, quum de ambobus meminerit, res non oculis comperta fuisse videtur. Utcumque se ea res habuit, quinto decimo incipiente sæculo, Navarra jam adolescentem inter nostrates dramaticam artem videtur in clientelam suam suscepisse (1426).

Quarum *Moralitatum* alteri titulus fuisse videtur « Dialogus inter Deum, hominem ac Diabolum[2]. » Nec dubitandum est collegiorum comœdias sacro quodam magis ac magis indui colore, prout ad antiquiora sæcula reditur. Animadvertas enim, non solum B. Ludovici festo die sed omnibus gymnasiorum festis, quibus age-

1. Bul., VI, p. 70; V, p. 857, 782, 777, 761, 560; IV, p. 93, et in libro *de Patronis IV Nationum*, p. 117.

2. V. *Mercurium*, loc. laud.

bantur fabulæ, sacram haberi concionem, qua peracta ludis opera dabatur. Tali consuetudine quodam modo nostræ miscentur comœdiæ cum *Miraculis* quæ, ut scitur, festo die alicujus *Sancti* populo grati, eademque post sacra et, si rem a principio repetas, latino sermone inducebantur.

Sunt autem inter duodecimi sæculi *Miracula* quædam quæ mihi videntur scholasticorum gratia scripta fuisse, eorum titulum, materiam, ac, quum licet, auctores locumque in quo acta sunt respicienti. At enim nullo modo his temporibus parisiensis Academia exstabat. Nova igitur ad origines tentanda est progressio; nunc ex gymnasiis ad monasteriorum scholas transeundum in quibus jam BB. Nicolaus et Catharina disciplinis favere perhibentur scenicisque laudantur ludis.

Quod testantur, ut Hilarii taceamus ludos, Gallicis cantilenis permixtos et si minus in usum scholasticorum saltem a scholastico factos [1], quod, inquam, primo testantur quatuor B. Nicolai *Miracula*, ineunte duodecimo sæculo scripta [2]. Quorum secundum scholasticos producit inter personas.

Nos quos causa discendi litteras
Apud gentes transmisit exteras,
Dum sol adhuc extendit radium
Perquiramus nobis hospitium...
— Accedatis scholares igitur, etc.

1. *Hilarii versus et ludi*, Techener, 1838, in 8°.

2. In abbatia Sancti Benedicti ad Ligerim reperta, et quæ typis multi mandaverunt, præsertim Merilius et Coussemaker nostris temporibus.

At enim non discernendum est hoc drama a tot *Miraculis* quæ coram universo populo in ecclesiis, dum Media floreret Ætas agebantur. Quid igitur tibi videtur de *Miraculo* quod in Anglia professor quidam in honorem celeberrimæ disciplinarum patronæ induxit in schola sua, inter annos 1110 ac 1120? Teste enim Mathæo Paride « legit apud Dunestapliam Gothofredus exspectans scholam Sancti Albani sibi repromissam, ubi quemdam ludum de Sancta Katherina (quem miracula vulgariter appellamus) fecit[1]. » Qui ludus inter antiquissimos numeratus, nequaquam a Gallica scholarium comœdiarum historia (cui præsertim incumbimus) alienus est, nam hic Gothofredus e Gallia anno 1110 advenerat, nec dubium est quin in patriis scholis vetustiora exempla cognovisset[2]. Nunc fatendum est qua lingua hoc miraculum scriptum fuerit M. Paridem tacuisse. Sed verisimile drama quod B. Nicolai dramata tempore præit atque in scholis fuit actum, monachorum lingua scriptum fuisse. Quo fit ut non fortasse derideretur qui recentioris dramaticæ artis incunabula in monasteriis, id est in monasteriorum scholis, haud secus ac in ecclesiis conquirenda esse contenderet.

Nondum tamen ad altissimam originem regressi sumus. Fuit enim regnante Carolo Magno tempus, quo

1. Vitæ abbatum Sancti Albani. Hunc locum ab Hallamio Merilioque memoratum primus eruisse mihi videtur Bulæus in Univ. Par. II, p. 226, idemque in libro *de Patronis Quatuor Nationum*, p. 116-117.

2. « Non novo quidem instituto sed de consuetudine magistrorum et scholarum. » (Bul., II, 226.)

monachi Romanorum scriptorum memoriam tenebant, dramaticæque rei peritiores erant quam ut nova certe sed quodam modo barbara, qualia sunt B. Nicolai miracula, delinearent. De Hroswithæ comœdiis non est hic locus. Sed, ante Hroswitham, quum post tenebras usque ad Caroli Magni regnum effusas, studia Alcuinus per Germaniam ac Galliam hortante principe restituisset, quumque ipse Carolus litteris circum monasteria dimissis humaniorum disciplinarum amorem ubique excitasset : quum Terentii comœdias propria manu Alcuinus, ut creditur, emendavisset et descripsisset [1] non mirum est si veterum reficere pulpita ac Terentium ipsum in scenam redeuntem monstrare cupiverint abbates doctique viri quibus informandæ adolescentiæ tradita cura fuerat. Cujus rei conjecturam affert, *dialogi inter Terentium ac Delusorem* fragmentum, materiei nostræ vindicandum et quod in hominum manus dedit anno 1849 [2] vir eruditione notus *Montaiglon*. Huic enim Magninoque, quamvis de ipsius operis in decimo sæculo descripti ætate disputent, placet (rem non exploratam quidem sed verisimilem) hunc dialogum, sive nono sive septimo

1. V. Guizot, *Histoire de la civilisation en France*, Didier, 1869, in-8°, t. II, p. 187-8.

2. *Fragment d'un dialogue latin du* IXe *siècle entre Térence et un bouffon*, 1849, in-8° (ex latinis Mss. Bibl. nat., n° 8069). Quod opus Montaiglon nono sæculo ob leoninos versus tribuit. Animadvertendum est in hoc dialogo hexametrorum versuum seriem disticorum seriei subjungi; nam eadem colluvione Textoris fabulæ perturbabantur. Incipit disticis delusor :

> Mitte recordari monumenta vetusta Terenti,
> Cesses ulterius. Vade poeta vetus, etc.

sæculo scriptus fuerit, in schola monasterii actum fuisse, quasi prologum, antequam Terentii comœdia induceretur.

Hæc meta investigationis nostræ. Nam de *Querolo* omnia incerta sunt : quod enim pertinet ad dialogos qui Romanorum tempore in rhetorum scholis recitabantur, ut profanæ rem antiquitatis non disquirendum constituimus.

Ad summam, posthabitis rhetorum tragœdiis, et singulariter Hosidii Getæ *Medea*[1], si tempora solum ab Media Ætate prospexeris, in quatuor partes distribuendam esse patebit nostrarum comœdiarum historiam ante Textorem, quarum partium in monasteriis duæ, duæ autem in Universitatibus explicantur.

Primum enim, circa regnum Caroli Magni, quum gratia Terentius polleret, monachi agendis ejus comœdiis interdum indulsisse videntur.

At paulatim increscentibus tenebris quum sacerdotum adversus Romanos auctores odio nullus Caroli rex æmulus obstaret, legi tantum incepit Terentius, quam curam et multi damnabant[2]. Sed quum insito animis agendarum fabularum ardore, sacra in ecclesiis paulatim dialogis miscerentur, prodierunt *Miracula* quæ si ex monasteriorum scholis exorta fuissent nihil mirarer, quum primis inter ea, quæ ineunte duodecimo sæculo

1. In anthologia quam recensuit A. Riese, p. 49.

2. « Sunt etiam alii sacris inhærentes paginis, qui licet alia gentilium spernant, Terentii tamen figmenta frequentius lectitant, et dum dulcedine sermonis delectantur nefandarum notitia rerum maculantur (Hroswithæ præf.).

memorantur, disciplinarum patroni laudati fuerint.

Condita autem Parisiensi Academia, sed ita ut plerique scholasticorum sacerdotes evaderent, mos e monasteriorum scholis videtur in gymnasia transiisse. Primum hæc sacra fuit cura.: sed declivi quodam cursu ad *Moralitates* ventum est, quæ tamen diu, utpote mortis metum incutientes, religioni auxilio fuerunt. Interim quum vernacula lingua a latina velut a fasciis devolveretur, jamque Hilarius gallicas latinis carminibus cantilenas addidisset, patrii sermonis comœdias Navarricum gymnasium admisit (1426). Prævalente tum sacro ac tristi argumentorum genere, eminebant interdum, præsertim Regum die, mimica et satirica, antiquæ originis, de quibus « veneranda natio Franciæ » expostulavisse videtur anno 1451 [1].

Denique sub fine quinti decimi sæculi, ad latinas musas studiosius remigratum est. Talis erat in Gallia status rerum, mixtis omnibus, piis argumentis cum jocosis fabulis luctantibus, soluta oratione in carmina incurrente, *barbarie* ut aiebant, elegantiis adversante, vernaculamque Bazochiæ petulantiam Ludovico rege incitante, quum Ravisius apparuit, qui omnia hæc turbidæ ætatis elementa in suas comædias retulit, vividaque nobis exhibet.

1. Bul., V, p. 560.

CAPUT III

TEXTORIS SACRA DRAMATA

Ravisii fabulæ videntur circiter ex anno 1500 usque ad annum 1520 actæ fuisse, si concesseris auctorem, Parisiensium rhetorum more[1], his dedisse operam adolescentem, nec grandiori ætate, benigne enim auditum, ab eisdem discessisse; quod dubium esse fateor. Auctoribus *Ph. Chasles*, mihique incognito quo nititur chronographo, una ex præcipuis nostri fabulis anno 1510 inducta fuit.

De quibus ut primum summatim loquar, sunt sacræ, sunt satiricæ, sunt longiores, sunt quæ vix modicum dialogum excedunt. Quædam prosa oratione, versibus quædam scriptæ; aliquando solutis verbis adjunxit numeros. Inter versus, nonnulli eumdem in cadendo sonum, latini sermonis *Miraculorum* instar, referunt: at plerique aut hexametris constant aut distichis, aut sæpius, mixtis hexametris atque distichis, more vetustissimi inter Terentium Delusoremque dialogi. Sed abest iambus cui post renovatas litteras, florente Francisco primo, tum demum in comœdiis occur-

1. Quicherat, *Histoire de Sainte-Barbe.*

retur. Non difficile est præsentire neque actibus nostras neque scenis divisas esse; qua colluvione non solum vetustiora *Miracula* sed et in quinto decimo sæculo exaratæ comœdiæ plerumque ut ita dicam obcæcantur[1]. Quid fabula spectatores moneat tradit hic et illic interpres quidam, aut auctor ipse, aut « stultus » in Gallicis ac Hispanis comœdiis notus actor : qui omnes Græci chori vicem præstant, ita nulla est ætas in qua natura, utpote sibi constans, variis artibus eadem exprimere non conetur.

Inest et omnibus his seu sacris seu satiricis fabulis mos sæpissime personis communium notionum subjicere nomina, *Gallicarum Moralitatum* exemplo. Quocirca nec Mundum miraberis prodeuntem qui tibi Gallicas comœdias pervolventi sæpe occurrit, neque Liberum Arbitrium, nec Mortem ac ejus ancillam Morbum, neque etiam Animi Salutem cui ancillatur Meditatio Mortis. Præterea Miles aut Judex aut quivis alius non unum hominem sed sæpissime omnes ejusdem conditionis designant. Uno verbo communium notionum ea vis est ut auctor historicis argumentis, si in quod inciderit, peculiarem colorem detrahere festinet. Quo pacto Dionysius Minor et Charisophus, qui ridebat, si Textoris commentario credas, quum ridentem videret Dionysium, in fabula Dives Gloriosus fiunt et Adulator (fol. 30). Eodem modo filius prodigus quem a meretri-

1. Quod non solum in gallicis et germanicis sed nonnumquam in italicis fabulis accidisse licet conjicere Catalogo *de Soleinne* qui dramatibus italicis ascribit : « Virginem Mariam metrice, sine actibus neque scenis » (n° 174).

cibus expilatum sacræ litteræ narrant, quilibet inter prodigos fiet cujus originem nemo agnovisset nisi in argumento dixisset Ravisius : « hoc speculum tractum esse ex historia notissima de puero prodigo. » Quibus animadvertendum mihi videtur, quem in modum consuetudo generales formas in disputationibus tractandi e scholis ad pulpita manaverit.

Hæc plerisque fabularum communia. Inter quas quum duo, ut jam dictum est, genera emineant, de priore in quo Mors primas tenet jam disquirendum.

Neminem fallit Mortis imaginem Mediæ Ætati ut ita dicam incubuisse [1]. Hominum vita contineri tum videtur duobus Villonis versibus quum in monasterii sacrario ejus mater, paupercula scilicet anus, visis hinc picto in specularibus paradiso ubi sunt citharæ, at illinc infernis ubi damnati, ut ait, elixantur, Dei parentem Virginem orat ne in æternas incidat flammas. Præterea populos qui sic venturi Judicis metu concutiebantur notum est e rapacibus ac numerosis pestilentiis quam fugax sit hæc vita rescivisse. Nec minus liquet Macabræas choreas (quarum origo seu ex tertii decimi sæculi pestibus ducatur, seu ab prima christianorum ætate repetenda sit, non est mihi nunc perquirenda) theatralibus quibusdam sodalitatibus argumento fuisse ; quum wiborniensis synodus Magnino teste queratur « de choreis, cantilenis ac secularibus ludis qui in cœmeteriis ipsis agebantur circa corpora mortuorum [2]. » Eadem

1. V. Lenient, *la Satire en France au moyen âge*, cap. XXVI.
2. *Journal de l'Instruction publique*, anno 1835-6, p. 43.

cujusdam theatralis sodalitatis meminit, quæ Mantuæ anno 1260 invenitur seque ipsam *Mortis confraternitatem* appellabat.

Gallico theatro non desunt funebribus argumentis *Moralitates* quæ si primum ex collegiis prodierint non mirarer[1], utpote ex asylis in quibus sub *capillarum* umbra religiosæ consuetudines a futuris sacerdotibus servabantur.

Hæc argumenta, Ravisii annis plerumque trita, variis ab illo præbentur modis. Nunc Terra ingemit quod sint « ad exiguum tempus » omnia quæ vivunt : nunc inconsideratus Homo diem carpit fugacem : nunc adest Novissimi Judicii terror ipsumque Judicium. Ne feralis quidem Saltatio omittitur. Vivida omnia et quæ plane ab inficeta auctoris eruditione discrepant quum in Præfationum libro de Morte haud semel loquitur. Ad hoc miranda spectacula. Subito enim inferna patent, ostenduntur que inter flammas stridentibus dentibus

1. Jam dictum est de *Moralitatibus* quæ in Navarrico gymnasio actæ fuerunt annis 1426 et 1431. Cæterum *Moralitates* non primum a Bazochianis inventas fuisse sed ex *Mysteriis* originem traxisse mihi argumento erit *Moralitas* cui titulus est : « *l'Homme pécheur par personaiges joué à Tours. C'est assavoir la Terre et le Limon, etc.* » (1494). *Mysterium* enim ab editore vocatur. Insunt ejus prologo ut in *Mysteriis* latina verba ex sacris libris excerpta « formavit Deus hominem de limo terræ. » Vivit tota fabula, quamvis generalibus notionibus pro personis utatur, et ea est quæ a pio viro ut futuri post mortem judicii metum incuteret scripta videatur. Quam libenter libro qui « *Pilgrim's progress* » inscribitur conferrem, a Bunyano vividissime delineata : quæ ἀλληγορία nunc etiam apud protestantes multa gratia valet.

damnati : apparet, cum dæmone angelus de morientis anima contendens[1]. Quid de dæmonibus dicam damnatorum elixis carnibus vescentibus, quo loco terrori facetiis temperatur. Talia, quum ab omnibus accepta monstrarent nec non magnifico apparatu inducerentur, spectatores haud dubie movebant.

De quibus dramatibus quatuor elegimus breviter inspicienda; quid sit in inventione Textori tribuendum, quid a Gallis mutuatum, quid cum Gallicis litteris concinnet obiter dicturi.

I. *Terra et Homo* (f. 1). — Hic dialogus, quem perhibet *Ph. Chasles* sexto die mensis octobris 1510 in Navarra magno audientium plausu actum, non proprie fabula sed quadam umbrarum pompa constat. Terra luget quod omnia quæ parit vicissim pereant ejusque, licet verbosioribus, querelis cor legentis tangitur. Gementem alloquitur Ætas[2].

1. Angeli dæmonisque certamen de morientis hominis anima sæpe in *Mysteriis* occurrit (Vide « *l'Homme pécheur* » et « *la Complainte de l'âme damnée* » (s. l. et a.) Jure ergo tritum argumentum usurpabat Ravisius.

2. *Ph. Chasles* Ætatem interpretatur l'*Epoque*. « Qui es-tu, lui demande la Terre, avec tes bouts de vers et tes citations de latin et de grec? — Je suis l'Epoque. — Coquine (falsa meretrix, virago impudens), il te sied bien de sermonner, toi qui es souillée de tous les péchés. — Adressez vos injures à votre fils, le seigneur Homo, mauvais sujet, qui ne valait pas mieux sous le règne des autres Epoques (*les Gloires perdues.*) » — Nil tale in omnibus *editionibus* quas novimus, et in quibus Ætas *tempus* est; quatenus hic genio indulserit perurbanus vir *Ph. Chasles* nescio.

Quæ Dea, quæ tanto mittis suspiria luctu?
— Terra, parens rerum. — Quid fles? — Quid lugeo? Nunquid
Justa datur matri miseræ querimonia, natos
Dum videt incerto miseros succumbere fato?
. . . . . Ego quid agam, si quidquid profero, quidquid
Procreo, quidquid alo, quidquid gero, quidquid in auras
Emitto, videam ad certum decurrere finem?

Dolet quod marcescant herbæ, defloreant prata, moriantur animalia, ruant urbes, pereat denique Homo quem post genita omnia postremò lacrymoso eduxit partu. Lugubri cantilena respondet Ætas : « Fata volunt; » necessitati parendum addit monendumque hominem

qui currit ad umbras,
Qui ruit ad Mortis jaculum, ne spem sibi vanis
Collocet in rebus, ne forte superbiat ulla
Doctrina aut opibus, membrorum aut viribus ullis :
Et dicas dites, doctos, fortesque ruinam
Jam passos.

Talibus in modum prologi dictis vocatur Homo, ac statim coram illo traducuntur clarissimi priscorum sæculorum viri. Prodeunt primum bellatores Hector, Achilles, Alexander, Samson, qui morte victi ac recitatis vicissim næniis evanescunt dicentes : « Sic omnia devorat ætas. » Pulchræ mox apparent feminæ, Helene, Laïs ac Babylonia Tisbe quarum omnium sub fine planctus est cantilena :

Omnia sic Ætas immaturata rapit.

Proferatur exempli gratia Helenæ carmen :

O cæcos homines quos formæ culta venustas
Erigit et cultus corporis eximius.
Nunc video, video nimium, meminisse necesse est
Membra hominum fœdis vermibus esse epulas.
Pectimus hos crines et torto nectimus auro
Fasciolaque caput cingimus aureola.
Ornamus fuco faciem, speculoque propinquo
Informes digitis corrigimus maculas.
Arte caput tegimus, faciem deflectimus arte,
Cingimus arte comas, volvimus arte oculos.
Et tamen hi crines, hic fucus et ista venustas
Et cervix pereunt more fluentis aquæ.
Ecce ego pulchra fui : tandem sum facta cadaver.
Nostra caro fœdis vermibus esca data est.
Si nescis Helena est larva hæc umbratilis, olim
In Menelao rapta puella thoro.

Supervacaneum, Virgilii qui scientiam inutilem esse docet, Xerxis, Sardanapali cæterorumque umbras ostendere. At interea quid Homo? An hæc audiens inter Voluptatem Venustatemque obdormiverit, probe appotus, quod tradit *Ph. Chasles*, nescio : nulla certe talium in nostris editionibus vestigia. Movetur tamen inexspectatum in modum, nam exclamat :

Quid faciam? Castus si vixero non ero salvus
Propterea : vivens si flevero non mihi fletus
Proderit. Et vivens si risero nil mihi risus
Obfuerit. Nihil ergo nocet jucunda voluptas.
Quare, quidquid erit corpus, seu terra cinisve
Seu vermis, vado ad choreas, risusque jocosque.

Terra.

Concludam. Licet incertis obnoxia fatis
Corpora et in modicas cineres abitura caducus
Et mortalis homo videat; tamen immemor hujus
Excidii semper sequitur sibi noxia. Dixi.

Hæc Hominis Terræque verba forte non unum commonebunt versuum quibus in Gallica *Peccatoris Hominis* fabula Terram alloquitur Adolescens.

Puisque de vivre n'ay espace
Au moins souffrez que me soulace
Pour mener bon temps fort et ferme.

Sed plerisque legentium, umbrarum pompa præsertim motis, merito occurret celeberrimi poetæ qui jam trigesimum annum fato functus erat, *De matronis priscæ ætatis* carmen. Villoni laudi datum est quod fluxam hominum vitam pulchris versibus expresserit : jure quidem, nam apud poetas materiem superat opus nec quidquid ex Horatii laude detrahitur quod in simili argumento notas Epicureorum sententias fidibus commiserit. Hoc dato, non tamen fieri potest quin cogitemus Villonem, utpote prius scholasticum, forsan haud dissimilis argumenti latinam comœdiam, Textoris vero comœdia antiquiorem aut spectavisse aut etiam actitavisse, sicque de matronis strophas concepisse. Quo fieret ut collegiorum comœdiis pulcherrimum inter Gallica deberetur carmen. Latinis enim Græcisque Villo nominibus utitur quum Floræ, Archepiadæ, Thaidisque

meminit, atque alio in loco Helenæ[1]; at Textor et priscarum meretricum et ejusdem Helenæ, cujus exemplum pervulgatum erat. Quid de Carolo Aurelianensi dicam qui Chryseidi, Helenæ aliisque magnam fuisse famam refert, quas tamen ineluctabilis Mors rapuerit[2]? Verisimile est vetus exstitisse carmen, quod tamen dramaticum fuisse non ausim asseverare, quodque erudito e fonte quum manaret, communem haustum Villoni, Carolo Aurelianensi ac denique Ravisio præbuerit.

Alii Villonis versus merito laudantur, de calvis quæ in ossariis Innocentium congesta apparebant.

In Sergio autem Reuchlini similis materiei versus mihi occurrunt, ubi agitur de calvario cujusdam apostatæ monachi.

> Videtis hanc calvam, recalvastram, cavam
> Et osseam ac testaceam

quæ inventa est ut ait

> In craniario inter ossa putrida
> Ubi cubant tam divites quam pauperes.

Hoc caput, quod magicis quibusdam artibus nebulonibus favet, osculatur nebulo :

> Osculari desinis?
> — Exosculor quia leno sum. Salve caput,
> O caput omnis lasciviæ, caput læve,

1. Et mourut Paris et Helene, etc.
2. Au vieil temps, grand renom couroit
De Chryseis, d'Iseult et d'Helene...
La mort les prit piteusement, etc.

Cavum caput sine spiritu, sine lumine,
Salve caput præsidium et heluonibus, etc.
(*Sergius*, actus III.)

Hos lugubres jocos Shakspearius in Hamleto suo renovabit. Scio equidem Reuchlinum (1455-1522) ætate infra Villonem fuisse, Lutetiæque aliquandiu consedisse atque ita posse Villonis dici imitatorem; sed multis sane videbitur credibilius a Villone, Reuchlino, Ravisio, nec non a Shakspeario (1563-1615) qui in quinto decimo sæculo Hamletum scripsit, ferales hos sensus ex largo Mediæ Ætatis fonte haustos fuisse. Queritur vir acris judicii *D. Nisard* meritoque communium notionum amantissimus raram avem in terris fuisse apud Mediæ Ætatis homines communem notionem[1] : at de Morte res hic ubique sunt, multa poetis præstantes hodieque legenda.

1. V. *Histoire de la littérature française*, lib. I, cap. IV, § 1. « De ce qui a manqué à l'esprit français et à la langue, du XII[e] au XVI[e] siècle. » Docto viro videtur forte Villonem Carolumque Aurelianensem de morte idem cogitavisse : at Villonis ferales cogitationes rem esse tunc tritam ac pervulgatam fatebitur qui notos Villonis versus :

La mort le faict fremir, pallir,
Le nez courber, les veines tendre, etc.,

cum his versibus contulerit (*Complainte de l'âme damnée*) :

Ma langue me tient au palais
Et n'ai puissance désormais
De plus parler. Mon vis pallit
La peau se stresse et jaunit
Mes deux yeux s'en vont chancelant.
Mes lèvres aussi sont retraites
Et se sont loin de mes dents traites. etc.

II. *Tres mundani* (fol. 10). — In hoc satis inordinato dialogo agitur de tribus ut ait noster Mundanis qui vita, quia brevis est, læte frui cupiunt : Mors autem illis, reclusa infernorum voragine, damnatum quemdam ostendit : posteaque dæmones nocentium membra epulantur. Legentium mentem advertunt trium Mundanorum superba verba, quum pecunia gratiaque freti cuncta derident et nullum facinus horrent. Si mihi dies dicatur, inquit unus ex his, judices corrumpam.

Causidicosque datis faciam raucescere nummis.

Si obmurmuraverint sacerdotes

Præbendam obtulero pinguendum forte latranti,
Præbendam : hoc uti cogit pænuria verbo.

si plebs obstiterit

Accurrent propere famuli qui mille sonantes
Incutient colaphos et duro verbere plectent.

Haud mora, Mors apparet, plebis vindex, cui frustra resistere conantur.

Pulchro vestimur amictu.
Mors. Ergo solus inops lacero vestitus amictu
Occumbet fatis et morte peribit acerba ?
— Nutrimus lautis mollissima corpora mensis.
Mors. Ergo epulæ redimentent hominem, solusque peribit
Jejunus pauper qui præbet oluscula ventri !

Damnati quoque, quum, dehiscentibus infernis, apparet, dignæ quæ exponerentur querelæ, quarum talis est cantilena

O dolor, o rabies, o stridor dentium, et ingens
Luctus, et inferni metuendus carceris horror!

De dæmonum cœna qui antequam mensæ accumbant comibus certant verbis etiam pauca referenda sunt :

— Afferte cerebrum
Præpinguis monachi qui relligionis honorem
Spreverit...
— Sacrifici elixas doctoris rodite carnes.
— O quam dulce epulum, frater! — Nil corpore pigro
Doctorum melius. — Mammas deglubite lenæ, etc.

Hæc fabula de cujus origine nihil nobis notum est eodem die (si *Ph. Chasles* credis) quo prior dialogus acta fuit.

III. *Mortis choreæ mortuorumque judicium* (fol. 53). — Inest huic fabulæ quidam ordo. In prologo Mundus cui Liberum Arbitrium de vita consulenti indesinenter respondet : « Elige quidquid agas, » libidinibus ac vitiis indulget, utpote utilibus admonitionibus destitutus. Jocosam Liberi Arbitrii personam in gallicis *Moralitatibus* videre licet, ac præsertim apud « Peccatorem Hominem » ubi Liberum Arbitrium talia :

Si tu tombes ou chois
Je n'y veux regarder...
Je suis Roger Bontems
Qui de tous suis content,
Ce qui t'est bon me plaît.

Mors haud multo post per orbem terrarum grassatur. Eadem, in priore hujus dialogi parte cujuscumque fortunæ homines ad funebres choreas adigit : in posteriore

autem, Rhadamante judice, damnantur cuncti præter eremitam et mitem præceptorem.

In priore parte Mors falce jugulatos ad choreas usitato more, primum summum Pontificem, mox Imperatorem, postea Regem, deinde judices, causidicos, cæterosque, ordine trahit. Equidem Ravisius aperte similis argumenti imitatur carmina quæ jam ineunte quarto decimo sæculo per totam Europam in manus hominum tradebantur et quorum unum Hispanico sermone scriptum typisque a Ticknore mandatum videtur coram spectatoribus actum fuisse[1]. Credit Ticknor hoc Hispanicum poema ex quodam Gallico ductum[2]. Quidquid id est, constat in Gallia Macabræas choreas primum typis mandatas fuisse anno 1485, venalesque prostitisse apud bibliopolam cujus officina, posticis Navarrici collegii partibus sita, ejusdem collegii nomine signabatur[3]. Eædem choreæ apud eumdem biblio-

1. Tichnoris *Hist. translat. a Magnabal.*, t. I, p. 87 et 543.

2. Cf., exempli gratia, verba Mortis ad summum Pontificem, in Gallico Hispanicoque dialogo.

> Dam pape vous commenceres
> Comme le plus digne seigneur
> En ce point honoré seres
> Aux grans maistres est deu honneur, etc.
>
> E porque el Santo Padre es muy alto señor
> Que en todo el mundo non ay su par
> E deste my dança sera guiador.
> Desnude su capa comience a sotar, etc.

Et Ravisius :

> Tu qui naturæ natos excellis in orbe
> Papa veni. — Quo mors me vocat? — Ad choreas, etc.

3. V. Brunet.

polam, latine anno 1491 prostiterunt. Jamque anno 1490 feralium chorearum Latina imitatio exstiterat apud *de Marnef*[1]. Sic enim, hac ætate, Latinæ cum Gallicis litteræ consociabantur.

Ravisius, haud secus ac cæteri, homines monet ut universi, morituri enim, Deo assidue famulentur. Attamen libero vividoque dialogo et non stropharum serie uno tenore fluenti rem exprimit, nec dubitat ridiculas interdum personas inducere, ut spectatoribus risus moveatur. Itaque coquus a Morte proprio veru trajicitur. Roganti ebrioso ultimus haustus conceditur.

Da jugulum. — Tradam ; tamen ante brevissimus haustus
Sit mihi concessus. — Jam bibe. — Bacche, vale.
... Hic saltem requiem præstes ubi dulcibus uvis
Et dulci vino floreat almus ager.
— Nunc morere.— Hunc haustum saltem concede secundum
Bacche, vale; valeas. Optime Bacche, vale.

In posteriore parte qui risus movebantur, damnatis cum præceptore, dispensatore atque lixa collegii! Quid commisit præceptor?

Hic juvenum scapulas mutilavit et ossa flagellis.
Elicuit rivos sanguinis ex humeris.
Nec timuit pedibus pueros calcare tenellos,
Nec croceam manibus vellere cæsariem.
— Verbera quæ pueris intulit ipse ferat.

Quid dispensator?

Dic, Clotho, quidnam dispensator scelus egit?
— O fera tartareum pascere digna canem!

1. V. Brunet.

Quid sceleris fecit? Non totum tolleret æquor
Non totus maculas tergeret Oceanus.
Vina propinavit pueris sed aquatica : vel quæ
Nec sitiens unquam Tantalus ebiberet.

At coquus

macram dedit offam
Gui nec erat sapidi parvula mica salis;
Et, nummis parcens, nullas immiscuit herbas.
Sæpe etiam tetigit fumida flamma cibum.
Præbuit et carnes crudas et sanguine plenas;
Pisa dedit spurcæ non tribuenda sui.

Quid lixa?

Haustor aquæ quid fecit lixa? — Paravit
Qua dispensator vina profudit aquam.
— Dispensatoris stygias comes esto per umbras
Ut videat quid sit tingere nectar aquis.

Ergo in comœdiam ibatur talibus jocis: sub fine tamen amoto quæruntur seria ludo.

Mors. Quot sunt quos Erebus rapuit?— Tot millia— Quot sunt
Qui campis gaudent suaviter Elysiis?
— Inter tot populos, tot millia, vix duo salvi
Millibus e tantis vix duo ad astra volant.
— Qui sapit ergo suæ studeat memor esse salutis.
Qui sapit incertæ consulat ergo animæ [1].

1. In Hispanico dialogo Mors :
A todos los que aqui non he nombrado
De cualquier ley e estudo o condycion
Les mando que bengan muy toste priado
A entrar en mi dança sin escusacion
Non rescibire jamas escebcion
Nin otro libelo non declinatoria
Los que bien fisieron abran syempre gloria
Los quel contrario abran dapnacion.

IV. *Damnatus Epicurus.* — In hoc dramate Ravisius notum boni angeli dæmonisque circum morientem hominem certamen expressit quod in Gallicis *Moralitatibus* ubilibet ac præsertim in *Hominis peccatoris* atque *in damnatæ animæ questibus* videre licet. Suam fabulam, Epicuri nomine, doctis « percelebrium virorum » auribus videtur accommodasse: quo tamen Epicuro quilibet voluptarius significatur.

Duo Epicuri quibus anima terrea tantum moles est sese invicem ad carpendam vitam hortantur, quibus stimulos addit Epicurus ipse magister. Tunc Mors advenit immortalis eos admonens animæ, propediemque fato cessuri Epicuri. Attonitis discipulis Epicurus ictu morbi petitus mox luctante spiritu delirat. Statim apparet nigris elatus cornibus Dæmon qui eum ut sui juris repetit, ab Angelo tamen defensum. Denique raptus a Dæmone Epicurus horrendum in modum queritur, soli, matri, omnibus in terris rebus maledicens. Discipuli autem territi, sibique invicem ostendentes descendentem ad inferna Epicurum, in solitudinem ire parant quamvis eis plurima Mundus polliceatur. Neque theologi, neque doctores, neque primates gymnasiorum, neque reges, neque summi quidem Pontifices esse volunt.

> Vidimus ad stygias Epicurum pergere flammas.
> Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Eremitæ fient. Nam eremita nostrarum fabularum quasi rex invenitur. Paradisi atrium, solitudo.

Nunc de certamine inter Angelum ac Dæmonem referantur excerpta quædam : ea enim interdum fuerunt

hujus Epicuri scelera quæ non omnes aures audire queant, quamvis scholasticorum, præceptorum, nec non sacerdotum concione audirentur.

Dæmon. Quisquis es, indutus niveo qui pergis amictu,
Siste gradum reprimasque pedem, ne accedere pergas
Ne propius forsan pigeat venisse. — *Ang.* Recedas
Bellua tartareis veniens emissa cavernis.
— At tu cælesti, properes, qui mitteris aula.
— Quid petis hic? — Epicuri animam. — Violenta recedas
Bellua, vel justum quod inest utrinque geratur.
Ostendas sceleris quidnam commiserit. — At tu
Ostendas dignum quid laude peregerit olim.

In utriusque manu liber est.

A. — Multotiens inopem nummis nutrivit egentem.
D. Sacrilegis manibus deciens delubra deorum
Diripuit. — Decies mendicis contulit aurum.
— Undecies voluit patrem jugulare veneno.
— Multotiens vacuo tenuit jejunia ventre.
— Ebrius undecies propriam stuprare sororem
Non timuit. — Falsum est, sævissima bellua. — Verum est,
Angele, conspicias nostris inscripta papyris
Hæc documenta. Fidem perhibent. . . . .
. . . . . *A.* Obstare nequirem
Quum scelerum numerus virtutum vincat acervos.
Hanc animam rapias. — Procede, miserrima, perge
In tenebras, luctum, lacrymas, tormenta, colubros,
Ad furias, æstumque hiememque sitimque famemque
Ad furcas, laqueos, stridorem dentium, ad ignes.
Epicurus. Ve, ve, ve, ve, ve, ve, ve, ve, ve mihi, ve, ve.
Væ matri quæ me peperit, etc.

Hæc sunt Ravisii (ne plura nequidquam afferam) sacra dramata, in quibus licet Gallicorum argumentorum ali-

quando meminisse videatur, nihil tamen ad verbum transtulit, sed quæ in medio publicique juris erant, ut angeli dæmonisque certamen, res sæpius a Gallis auctoribus tunc attrectatas atque per manus ut ita dicam transditas, ipse sibi pari auctoritate vindicavit. Traditum a prioribus in Navarra morem tuebatur; ejusque dramata, longo ordine, olim actis quas jam commemoravimus in hoc gymnasio *Moralitatibus* conjungenda sunt. Cæterum quid ex gallicis latina, necnon e latinis gallica per id temporis mutuata sint difficile esset dicere[1]. Quæcumque autem Ravisius aut excogitaverit aut ex communi fonte hauserit aut quidem imitatus sit, at omnia libero impetu vividisque verbis expressit, raro paganis nominibus respersa nec unquam circuitionum elegantiis oppressa. Nullam ei gloriam repeto : attamen quum sin minus ejus, saltem Gallicas *Moralitates* legenti, veniat in mentem hominis (quippe sibi magna ex parte incogniti) exquirenda natura et sorte veram ali tragœdiam; quum autem Hominis fatum excutiant *Moralitates*, ac de illo supera regna infernaque decertantia ostendant; non possum non meminisse Æschylis qui, græca exoriente tragœdia, hominem mortuorum umbris Justitiæque obnoxium ostendit : magna quidem utrinque, dissimili eventu, argumenta; felicemque Græcum poetam cui libera in patria et homericis fabulis freto, mansuram contigit invenire tragœdiam.

1. V. tamen inter cætera *la destruction de Troye la Grant* (1450), *la grant nef des folles* (carmen), l'*Histoire de l'Enfant prodigue* (1535?) quæ fatentur auctores « *translatées de latin en françois.* »

CAPUT IV

TEXTORIS SATIRÆ AC FACETIÆ

Ad satiram, cujus multæ nec a nobis percensendæ exstant origines, feralibus quoque comœdiis ibatur. Qui enim optimates ac ipsos reges Morti prædam haud secus ac plebem objecerant, illorumque vitia coram judice Deo explicaverant, iidem facile (quamvis primum hæc ob omnium salutem fecissent) satirico ingenio indulgebant. Regem certe spectatores minime venerabantur quum Ravisius eum in macabræis choreis ostenderet querentem et dicentem :

Nil mihi profuerint lilia, nil aquilæ.
Nil crux alba, nihil pariter me rubra juvabit.

Quumque, alio loco, non dubitaverit in scena exstruere summi Pontificis Regisque tumulum :

Hic stat Pontificis defunctum nomen Iuli.
Hic tua stat pariter, rex Lodoice, caro.
Aspice mendico quid rex a paupere differt,
Papa quid a vili differat agricola[1].

1. *Contemptor mundi.*

Licet tamen ob multa conjici possit neque Pontificibus neque Regibus nominatim pepercisse Ravisium, desunt in editione Laberii tales satiræ, quæ, ut jam dictum est, typis anno 1536 haud impune mandata fuissent. Quod si latini cujusvis Aristophanis comœdiam, utpote in collegiis actam, legendi cupidus sis, superest Fausto Andrelino in Academia Parisiensi professori atque a Ludovico duodecimo mercede conducto, non sine causa tribuendus[1], exaratusque anno 1513 *Julius II*, « festivus sane ac elegans (ut auctori placet) dialogus quo modo P. M. post mortem cœli fores pulsando ab janitore D. Petro intromitti nequiverit. » Ravisii tamen satis ampla superest comœdiarum in diversas conditiones scriptarum messis, ita ut satirici Navarræ mores hoc tempore exprimantur. Derisui erant tunc præsertim in collegiis feminarum, aulicorum, sacerdotum vitia. Hoc ordine Textoris reliqua inspiciemus, additis duabus facetiis quæ solum ut risum non ut bilem moverent actæ fuerunt.

Femina. — Est cui in omnibus collegiorum comœdiis maledicitur hostis, de quo nulla unquam laus, in quem nunc odii furore nunc jocis inficetæ plerumque rusticitatis fit impetus : feminam dico. Quam et puellam et uxorem et matrem ut proprium inimicum undique insectantur præceptores, nec forte lepidam ostenderunt

1. V. præter Cat. Sol. hæc ipsius dialogi verba : « *Jul.* Si Gallus vicerit, id quod abominor... *Petrus.* At quid rei tandem incidit adversus Gallos et horum Regem? Quem vestri majores Christianissimi titulo decorarunt, præsertim quum illorum præsidiis fatearis et vixisse te et ad istam plus quam imperialem coronam evectum, » etc.

nisi excusso pudore contemnendam. Cujus rei causæ facilius eruentur si memineris apud theologos, procul ab elegantiis nostram viguisse comœdiam. Si Erasmo credas « in Eva non solum (quod et in Adamo) voluntas corrupta videtur, verum etiam ratio sive intellectus, unde scatent fontes omnium bonorum et malorum[1]. » Ne quis enim ipsum comœdiæ genus arguat, quum a comicis haud secus ac mulieres ludantur viri, et a Molerio non una adumbrata sit lepida simul et probabilis.

Prima causa ducenda videtur e segregi clericorum vita, quorum intererat ut feminæ, perpetuum enim culpæ periculum, fœdum in modum describerentur. Quod docet, exempli gratia, *Manuale scholarium* in Germanicis scholis ante annum 1480 vulgatum, ubi venenosa dicuntur mulieres animalia quæ serpentis instar inficere solent. « Eousque etiam interdum quis ex eorum aspectu debilitatur ac plene inficitur ut ex omnium vita discedit... Quæ pestis plus nociva est quam mulier? Nunquam tanta verbis explicari potest malitia quin major habet in eis imperium[2]. »

Postea, quum jam plerique scholasticorum non evaserunt sacerdotes, vetus tamen opinio mansit.

Diu enim Parisiensibus « regentibus » matrimonio interdictum fuit; quæ prohibitio quum situ exolevit,

1. *De Lib. Arbitrio* (Erasmi Opp., t. IX, p. 1221). Forsitan aliquis dicat in Media Ætate mulieres dignitate antea inaudita auctas fuisse, sed nobis cum monachis et theologis, non cum equestri militia res est.

2. Cap. XV et XIX, p. 35-41.

uxorem ducentes nihil minus tamen omnium contemptui objiciebantur. Ex quo fit ut in incerti auctoris comœdia anno circiter 1533 Parisiis acta et nondum typis mandata[1], cujus nusquam dispectas partes vidimus, deridendus spectatori præbeatur rhetor, uxorius scilicet, quem coram populo comit conjux[2] et qui vicissim conjugem græcorum verborum tempora docet. Idem demum ob ridiculam vitam Lutetia expulsus Burdigalamque contendens ubi regentium matrimoniis indulgebatur[3], uxorem humeris suscipit, non sine coronæ risu.

Quid quod ex vita virili et a muliebri urbanitate

1. « Dialogus longe facetissimus de temporis ac scientiarum mutatione, disputationem præsertim sophistici ac logodedali complectens. Est autem de abjiciendis præcipue sophistarum gerris et de matrimonio præceptoribus minus convenienti ob uxoris gravitatem et pondus. » (Bibl. nat., f. lat., nº 8439). Quem revera actum fuisse monet argumentum :

> Cur? etenim depromet iambica multa juventus
> Classica, etc.

Actum autem anno 1533 non solum docemur, *Lipocordulo* ejusdem msti dialogo huic anno inscripto, sed imprimis quod in argumento *Tartesiacum* Burdigalæ gymnasium vocatur.

> Subveniet miseris verum Rhamnusia, quando
> His tartesiacas porriget ipsa manus.

Scitur enim hoc anno a Tarta Lutetiam professores quæsitos esse. (Vid. Quicherat, *Histoire de Sainte-Barbe*, et Gaullieur, *Histoire du collège de Guyenne.*)

2. Comendum me cures obsecro, quo legam
Quod institui. — Sedulo fiet quod postulas, etc.
(Fol. 107.)

3. Quod inter alia testatur exemplum Budini. (V. Gaullieur.)

sejuncta, scholarum moribus horrida inerat rusticitas? Oderant pædagogorum arrogantiam mulieres; timebant conviciisque afficiebant mulieres pædagogi. Ad hoc cum matribus, pertinacis enim indulgentiæ, concertationes. Non est nostræ materiei dijudicare an tales regentium animi ad Gallicas litteras aliquid momenti habuerint. Tribuantur satiricæ nationis indoli tot auctorum in feminam dicteria : clerici tamen Johannes *de Meung* inter multos ac Rabelasius fuerunt.

Longe eminet Latinarum comœdiarum rusticitate præceptor quidam apud Vitarum Scriptores ob pietatem, eruditionem, morumque elegantiam laudatus, vir inter *communis vitæ fratres* seu hieronymitas qui sese instituendis adolescentibus dediderant quondam inclytus, quem tamen pauci nominatum agnoscent, Macropedius. Ille enim, in *Rebellium*[1] suorum choro hæc a discipulis cani jubet, quibus tamen, ut opinor, matres erant :

> Ignis, mare, fera bellua
> Tria mala sunt, at pejor his
> Mulier : sed et nocentior
> (Si conferas) cacodæmone.

Incipiente eadem comœdia, in qua liberantur a præceptore adolescentes quos ad capitale supplicium materna indulgentia perduxerat, pronunciatur hic versus :

1. « Comicarum fabularum Georgii Macropedii duæ, Rebelles videlicet et Aluta : pueris tum ad eruditionem, tum ad pios mores non parum profuturæ. Coloniæ, 1540. » Revera circiter anno 1520 si præfationi creditur scriptæ sunt. Macropedio Batavum nomen *Langeveld*.

Dæmonium sua mater filio est.

Quid dicam de uxoribus apud eumdem? quarum unam in *Aluta* sua ebriam prodit, alteram in *Andrisca* ebriam quoque ac fustibus ad meliora revocatam, aliam in eadem Andrisca sacrifici amatricem, equinoque tergori a marito mox insutam, ac sale respersam pedibusque calcatam [1]. Quibus spectaculis Hieronymita optime fingendos adolescentium mores jactabat!

1. Byrsocopus (maritus). Prehendite, ejicite foras
Cadaverinam hanc feminam. Moramini?
Puer. Facessimus. — B. Sine remora. — P. Facessimus.
B. Efferte paulò longius, jam ponite. — P. Hem.
B. Hoc scorteum, Bunscotii cives, tenet
Mihi rebellem adulteramque conjugem.
Vobis in hoc opere tragico exemplum dedi,
Quo quisque corrigat suam, si inhonesta sit.
Heus tu puella, subsili atque succine.
Pædisca. Saltabo. — B. Salta alacriter et mihi concine.
P. Ut potuero? — B. Cave verbulo mihi occinas
Nisi tu quoque fieri velis mox ulmea, hem.
(*Canit.*) Sacrificum amans uxorcula
Me non ferebat conjugem.
P . Sacrificum etc.
B. Nunc lacera salsaque jacet.
P. Nunc, etc.
B. Insuta equino tergori.
P. Insuta, etc.
B. Ut, uxor, est? Adhuc libet mœcharier?
Uxor (*in scorto*). Proh! Vivere haud libet. Libeat hujusmodi?
Si qua pietatis, si qua misericordiæ
Viscera, viri Bunscotii, succurrite.
Flectite maritum ut his malis me liberet.
Gorgius. Sponde marito obsequia, faxo liberet.
Uxor. Me spondeo et respondeo viro fore
Morigeram, etc. (tandem liberatur).
(Andrisca, Actus V, sc. VIII.)

Non sunt dissimiles a Textore exspectandi affectus, minoris tamen, ut Gallum decebat, rusticitatis. Multis in locis meretricum lepidam et rapacem indolem ad vivum effingit, præsertim in scena filii prodigi. Præterea duos dialogos, elevandæ mulieri totos impendit, quorum prior poetica atque furens declamatio dici potest, alter autem prosa oratione, satis jocosus.

In priore urbs Troja, Salomon et Samson de femina queruntur, malaque quorum ex amisso Paradiso causa fuerit longo ac potius immenso ordine enarrant.

Troja vocor. — Salomon ego sum. — Samson ego dicor.
Pulchra fui. — Sapiens ipse ego. — Fortis ego.
— Nos tres quos variis cruciavit femina damnis
Dicemus quid sit femina quidve ferat...
— Quis generi humano paradisi limina clausit?
— Femina. — Quis lyrici cantus Davida peritum
Jussit adulterium committere? — Femina. — Sed quis
Ænean valido fecit confligere Turno?
— Femina, etc.

Interdum quiescunt sed ut mox iracundius repetantur maledicta. Samson tamen dialogo finem imponit dira exsecratione cujus quædam referenda sunt :

Te colubri rapiant rabidi : sis præda leonum :
Te voret infernus...
Prospera nulla tibi sit nox...
. . . Phœbus renuat tibi spargere lumen.
Non tibi demonstret rubicundum Cynthia cornu.
Te comedant vermes. Tellus tibi deneget uvas,
Pontus aquas, etc.
Non tibi sint epulæ nisi stercora. Semper abundes

Fletibus assiduis. Singultibus ilia rumpe...
Estne satis? non, non. Victum tibi terra recuset,
Morte repentina pereas. Væ, væ tibi, fallax
Femina sanguineos dignissima pascere tigres...
Sed brevis ut stricta fiat conclusio pausa,
Fertilis in terra paucos natura creavit
Quos flamma intactos mulier scelerata relinquit,
Vicerunt multi colubros, portenta, leones
Quos tamen immundo superavit femina luxu [1].

Quid dixisset de tali carmine elegantissimus poeta qui nostris temporibus Samsonem quoque induxit de femina querentem?

In altera autem comœdia agitur de adolescente qui ne in schola virgis cædatur nubere cupit, invito patre. « Vidi unum, inquit, a leoninæ torvitatis sanguinario præceptore flagris primo cruentatum, postremo in parietes impetuose jaculi more contortum. » Igitur ne, plagis pessime confectus inhumetur, ut ait, ducit uxorem cujus, post brevissimam ridiculamque lætitiam, miserrime fit famulus.

Uxor. « Has clitellas humeris superpone ac lignum venale compitatim deferas, quo nostrum utrique victum

1. V. Quoque B. Anselmi Çantuariensis carmen in feminam quod retulit sub fine Abelardi dramatis *de Remusat*.

Femina dulce malum, etc.

Cf. etiam Textoris versus cum Gringorii versibus :

Femme est d'iniquité le port,
Femme est l'enfer des gens maudits,
Femme est l'ennemy de l'amy,
Femme est sépulchre des humains, etc., etc.
(*Les Contredits de songe creux*.)

quærites. Perge nigot. — *Adol.* O quam miseri sunt qui uxoribus suis nubunt, miseri, inquam, quibus uxores imperant. Heus tu qui propinquus hic astas, hoc me exoneres ligno stipemque aliquam mihi conferas ; secus hodie postremum me vides. Nunc, parta pecunia ad uxorem redeo. Hem, uxor, cadest diurnum lucrum. — Id tantum nobis comparasti scelestissime nigot? Vapula, vapula. — Pol, ego plura non perferam. — Insurgis in me, nepharie? ego sane faciem unguibus tibi deformabo. — Hei ! uxor, sit saltem veniæ locus ; nunquam in flagitia reverti mihi contigerit. — Surge igitur. — Faciam quidquid jusseris. — Aquam situlis exanclaturus propera. — Dicto citius pareo. Hei, quam miseri sunt qui uxoribus suis nubunt. Vellem primo nuptiarum die me subitanea morte consumptum fuisse. Hei misero mihi, quid faciam? Redeo, uxor, aquam affero. — Hem, quid hic lacrimarum est? — Non lugeo. — Non si sapis. Telam hanc ad rivum lavatum propera. — Næ, uxor, pareo. — Properes, inquam. — O infortunatam maritorum conditionem ! Quid faciam? Miserum me qui hanc mulierculam in uxorem duxerim. Redeo, uxor : mundam refero. — Sceleste ! quid labeculam hanc non abluisti? Vapula. Tu me tantisper dum rure rediero domi remane, ac ibidem opperire, et cave si pedem commutaveris. — Ah ! pater, pater ! — Ha, fili, fili. — Verum nunc experior quod esse prædixeras... »

Hujus similem fabulam in numerosis Gallicis facetiis quæ typis mandatæ sunt frustra quæsivi. Nam de hac quæ inscribitur « *le Cuvier* » nihil hic dicendum.

Aulici. — Inter aulicos et præceptores, id est inter arma togamque, ne dicam inter Clitandrum et Trissotinum, semper bellum fuit. Lacessiti ab scholasticis aulici in minas erumpebant ita ut, Francisco regnante, de aulicis in nostris fabulis mentio prohibita fuerit, quod postea videbimus.

Sæpe Ravisius aulicos irridet nunc eorum adulationes in regem carpens, nunc milites illos gloriosos qui ex italicis bellis redierant terræ cœloque minantes inducens, quorum unum in sinu matris simul ac hostis umbra advenerit sese occultantem monstrat. Exstat imprimis de Aulico Fortunaque dialogus inter bonos numerandus, in quo non solum auctor jocatur sed ætatis suæ mores optime pingit. Quocirca si pæne totum descripserim, venia forsan mihi dabitur. Queritur apud Fortunam aulicus mutarique sortem suam cupit.

« *Fortuna.* Hoccine credibile est, sericatis comitem esse miseriam? — *Aul.*..Fortuna, sericati sunt byssoque et purpura divite induti, plerumque nec obolum habent unde restim emant. — Ubinam ergo absumerentur vectigales illi proventus? Nonnulli vestrum decem habent quotannis aureorum millia. Jam tantum thesaurum absorbet ventriculus! — Fortuna, non illud est. — Quid ergo? — Quid? alea, fritillus, spheristerium, luxus, equorum phaleræ. — Nihilne aliud? — Meretrices. — Quid præterea? — Domestici latrones œconomi fingunt talento emisse quod unico tantum aureo emptum est. Præterea adulatores... — Vos tamen nunquam video nisi sericatos et gemmatos. — Ha, Fortuna, creditores sunt, quibus si pistrina, sylvas, stagna, fundos et prædia

vendiderimus non satisfaceremus dimidiatim. Vis dicam? nos animam debemus. — Paupertatem dissimulamus... — Sed non æstimas plurimi illas epularum delicias? — Sed hoc ipsum non facit ad voluptatem. — Quidni? — Primum omnium, non est certa hora prandii aut cœnæ. Vivimus non nostro sed domini arbitrio : non prandemus nisi cum soli lubet : si cœnam aut ludum proroget in longam noctem, sumus in exspectando. — Quid interim non dormitis? — Ha, Fortuna, piaculum est non exspectare dominum : nephas est dormire priusquam venerit. Si liceat, erunt parasiti qui vigilabunt et gratiam et favorem præripient. — Semper tamen est vobis lauta culina. — Sed ut laute vivamus, putas tamen securas esse quas comedimus dapes?. — Unde emineret discrimen? — Unde, Juppiter! insidiis malevolorum. Nescis aulicos omnes emendicasse a Longobardis veneficia? nullum est illic frequentius malum. — Quid audio? — Vide apud te quot præsides et episcopi agminatim mortui habentur pauco tempore. — Ita forte placuit fatis. — Fata illa accelerata sunt. — Hoc si ita est, adhuc tamen promptum est vobis cavere. — Quonam illud modo? — Si fideles sint vobis domestici. — Tot habemus hostes quot familiares. — Et quamobrem familiares vobis insidiarentur? — Invidia. — Saltem qui benevolentiam dominorum sibi comparant felices putandi sunt. — Sibi constant principes ut mulieris animus. Vis paucis dicam? Versatiliores sunt cothurno. — At est felicitas diversas regiones circumspicere, hominum mores intueri et ubique terrarum nullam non experiri voluptatem. — Estne illud felici-

tatis, imbre humectari, cadere in lutum, in tenebris ambulare, equum habere strigosum et macilentum, dormire in cubilibus quibus scabiosi, cancrosi, leprosi, ulcerosi, paralitici forte jacuerunt. — Verum, liberum est vobis per otium stare in templis et cum diis versari. — Date mihi pelvim. Hæc verba excitant nauseam stomacho meo. Aulici refugiunt templa non minus quam carceres. — Video tamen permultos nonnunquam ire. — Hoc faciunt ne impii videantur aut ut devoratum plus æquo cibum longa deambulatione digerant aut perniciosum saturo ventri somnum fabulosis impediant colloquiis. — Verum generis vestri nobilitas immodicam laudem vobis parturit. — Nobilitas nostra cogit ut velimus nolimus vitam nostram exponamus periculis quæ reges delirant. — At quum estis in aula illa regia et populus videt vos sericatos, paludatos, purpuratos, gemmis ornatos et monilibus suspicit et veneratur. — Cum sumus in pagis nostris, aureæ vestes commutantur in pænulas, gemmatæ caligæ in soccos, et si præcedens aulicæ vitæ luxuria opulentiam nostram penitus absorbuerit, subjectos radimus, extorquemus quidquid possumus. Convertimus omnia cum pulvisculo. — Si subditis desit pecunia? — Extorquemus gallinas, tauros, arietes et quicquid agrestis gazæ comperimus : prægnantibus interdum paganorum mulierculis auferimus lectum et culcitram, et solum stramen relinquimus. — Sed dant interim principes per luxum. — Frequentius per vim extorquent. Propterea, Fortuna, si vis mihi gratificari, eripe me his miseriis. — Non constitui tibi quicquid aliud largiri. — Vado ergo, nam certum est

mihi unamquamque potius subire fortunam quam diutius huic insistere professioni. Vado igitur et me quibuscunque periculis expono. Valete auditores et exspectate hic tantisper dum redeam. »

Non est hæc comœdia quæ ridendo mores castiget, sed præceptoris ultio. Omnia hic aulicorum vitia numerantur, non arte Theophrastorum quidem, sed ut ita dicam peritia hominis quem dialectica docuit cujusvis materiei partes subtiliter dispicere ac recensere. Mihi minime mirandum esset si audito tali dialogo, cui discipuli plaudebant, excessisset aulicus fervidus ira, et rex ipse, cui in hac comœdia non parcebatur, pronus fuerit ad talia pulpita evertenda.

Sacerdotes. — Inest Germanis ante Lutherum, quum de turbidis ecclesiæ rebus loquuntur, mira gravitas, teste Vympfelingii Stylphone (1470), in quo ignaro sacerdoti quem summus pontifex quatuor præbendis donavit sic respondetur: « Sanctissimus habet, et eum habere profiteor, plenitudinem juris et summam potestatis largiendi, commutandi, tollendi, dispensandi: verum, ne tu de te stulte glorieris, non est tutus apud Deum cum quo Papa dispensat sine causa[1] : » Imo indulget summi Pontificis observantissimus auctor sacerdoti in quem plura beneficia cumulata sunt, si pauperior fuerit, sicut frigidissima hieme plures induuntur tunicæ[2]. Ipsa

1. Stylpho, sc. I.

2. « Annon illa mihi rationabilis et legitima causa est pluralitatis beneficiorum possidendæ quod uno aut duobus enutriri nequeo... — Qui tenue habet et exiguum, recipere potest secundum et item tertium quo se felicius educet ne in plateis mendicare co-

orationis gravitate ac modestia portendebatur emendanda apud Germanos serius ocius religio. At reverentiæ decorisque immemor Ravisius, nunc in Pontificem ipsum sævit :

Si nolis servare greges ex ore luporum
Te saltem in pecudes non decet esse lupum[1].

Nunc multorum sacerdotum ignorantiam ridet, tota Navarra spectante ac plaudente. Nam privatim, ut ait proverbium Gallicum, maculosas vestes purgabant. Religionem quidem non contemnebant; sed quid in ea majestatis esset non satis intelligebant, quum eam satiricæ nationis indoli subjicerent. Fieri potest ut Ravisius, si diutius vixisset, insectatus esset Lutherum, quod et Gringorius fecit. Adeo noster non impius videri vult ut *Ecclesiæ Episcorumque* comœdiam, in qua deridetur stulta simplicitas episcoporum *gregibus* hypocritas præficientium, sic concludat : « Concludamus ergo cum evangelista Matthæo, spectatores. Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi voraces. »

Quid vividius hujus comœdiæ exordio ? Incipit Ecclesia :

« Episcopi, vestræ oves gregatim pereunt. — Pe-

gatur infelix sacerdos, ut id triplicata faciant apud egenum beneficia quod apud nudum tempore brumali trium quatuorve tunicarum protectio. At si quisquam plura possideat quem nec egestas nec eminentia dignitatis urget, is profecto defunctorum animas suis privat suffragiis, » etc. (sc. I).

1. Fol. 192.

reunt, bone Juppiter! Quid audio?— Lupi turmatim gregem devorant.— Pape quid istud est?— Omnia paulatim eunt pessum. — Quid agunt igitur curati et vicarii nostri? — Gregis salutem nihili faciunt. — Prædicant næ interdum audiente populo viam salutis. — Et quid per Jovem prædicarent? Elementarii et idiotæ sunt prope omnes. — Elementarii! serio loqueris an joco? »

Lacrymante Ecclesia discurrunt episcopi ut probatos sacerdotes inveniant. Apparent tunc hypocritæ quorum unus: « Omnipotens Deus, rerum humanarum opifex, oro te per mortem unigeniti filii tui, per crucem, per plagas, per coronam, per resurrectionem, per ascensionem, averte oculos meos ab omni vanitate. » Alter autem:

Fratres mei carissimi,
Audite verbum salutis.
Audite dilectissimi
Verbum plenum sanctitatis.

Decepti talibus verbis episcopi quos frustra *stultus* admonet, hypocritas onerant sacerdotiis quæ primum hi nolunt accipere. « Ha, reverendissimi Patres, absit ut curas et beneficia (quod dicitur) accipiamus. — Velitis nolitis oportet pareatis. Vultis obsistere mandatis patrum vestrorum spiritualium? — Ha nolumus, vigilantissimi Patres. — Accipite ergo sacerdotia et curas animarum quas offerimus. Ego te qui primo stas loco constituo curatum ecclesiæ S. Petri in Remensi diocœsi, beati Theodoberti Senonensis, atque una canonicatum Meldensem tibi confero. — Gratias ago tibi, sanctissime Pater. — Tu secundus habe curam S. Nicolai in Lotha-

ringia, B. Adolphi in Arvernia et S. Gandulphi in Burgundia. — Gratias ago tuæ sanctitati, Pater vigilantissime, » etc.

Paulo post redit Ecclesia. « Episcopi, nunquam miserabimini meæ càlamitatis? — Equidem miserti sumus, Ecclesia, et exploratæ sanctitatis viros ad te misimus qui gregem tuum opere et verbo pascerent. » Qui tandem ubi sunt? Diu frustra requiruntur, donec inveniantur « stantes in costulis arietinis. »

Alii dialogi. — De duobus dialogis in honorem Ludovici XII atque in matrimonium delphini Francisci cum filia regis Angliæ scriptis nihil dicendum esset nisi talibus pateret aliquando Gallicæ gloriæ comœdias nostras inserviisse et historiarum scriptoribus quædam præbere documenta.

Perlustrandis his fabulis finis erit quum duos dialogos inspexerimus, scurrilis innoxiique leporis. Horum in priore Moria, stultorum regina, dicto prologo in quo omnia ditionis esse suæ contendit, inducit primum duos mendaces, deinde duos deceptores, postremum duos stultos qui vicissim mendaciis, dolis ac stultitia certant. Deceptorum fraudes Villonis inclytas absente pecunia cœnas renovant, dignum sane quod proponeretur scholasticis exemplum, præceptoribus spectaculum!

In altero dialogo certant Mystillus et Taratalla pugnantibus inter se dictis.

Quæ patri vestis? — Quæ? argentea, rustica. — Matri?
— Aurea sed multis rupta foraminibus.

— Nupta soror quam dotem habuit? — Cum divite regno
Mille talentorum millia : nil habuit, etc.

Mos enim tunc erat disconvenientia dicendo risum movere, omnibusque notum est Villonis carmen quod sic incipit : « Prope fontem siti langueo. »

Hæc sunt Ravisii dramata quorum piis multo comica præstant, nam Gallici ingenii noster quamvis latine scriberet erat, Pererii, Rabelasii, Voltarii, sin minus ingenio at indole quadam affinis. Illum admirabantur ut « rei comicæ imperatorem[1] » docti inter æquales; quumque cætera ejus opera vix eo mortuo, a quibusdam contemni cœpisse videantur, hi dialogi usque ad medium septimum decimum sæculum multis jucundi fuere. Utinam vernacula lingua Ravisius usus esset ! At saltem hujus liber in brevi quasi tabella Navarrici et quidem Gallici hac ætate theatri imaginem jucunde amplectitur.

1. V. Præfationem Dialogorum.

CAPUT V

DE COMŒDIIS COLLEGIORUM POST TEXTOREM

Mortuo Textore, nostris paulatim comœdiis elegantiam sed minime modestiam renovatæ addiderunt litteræ, ita ut nunc in aulicos, nunc in regium sanguinem inveherentur, sæviente interdum rege, sævientibus præsertim, quum licebat, aulicis. Quod, inter alia testatur, anno 1533 manuscriptus dialogus jam supra commemoratus, cujus incertus auctor se de tragicis, id est de publicis rebus nihil dicturum profitetur, prohibentibus enim aulicis.

Seria quæres
Ab alio : quippe hoc aulica turba vetat...
Regia me terrent ; musa jocosa placet[1].

1. *Dialogus « Sophistici et Logodædali.* » Argumentum (Ms. 8439). Auctorem regiis ut ait territum non miraberis si memineris hoc anno 1533 ludos in Navarræ reginam notissimos actos fuisse, de quibus Sturmius : « Nuper in gymnasio Navarrico novus quidam et *mousopatactos* poeta reginam introduxit quæ se in disciplinam diaboli traderet una cum sacrifico quem Megeram appellabat, alludens ad nomen M. Gerardi. Acti ludi sunt mirabiliter, applaudentibus theologis. Proximis diebus totam fabulam ad te mittam. » (Sturmii epistola apud Strobel in historia Argentorensis gymnasi,

Idem in ipso dialogo censorem ostendit Naphlæum (quo cognomine scholasticus latet jocus), huc et illuc discurrentem adolescentibusque iratum qui aulicum nomen obmurmuraverint :

Ecquid aulicum proferier
Audio nomen? fingere nobis Harpocraten tutius 'st.
Τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών
Ni deferam si quidquam audiverim in istos dicier[1].

Ergo finis erit facetiis? Nullo modo sed ipsorum præceptorum satira tunc comica vis alebatur. Luditur enim hoc dialogo uxorius rhetor de quo antea : luditur imprimis Logodædalus, quem dormientem fumo in nares infuso excitant, *fumivendulum* scilicet *triobolarem*, ut de dialecticæ professoribus dicebant[2]. Operæ pretium est sophistam ostendere expergefactum, atque instante hora nihil habentem quod secum meditatus sit :

Vah perii.
Prima etenim, quantum conjicio, instat hora a prandio
Nec quidquam habeo inventum quod dicere liceat novi.
Flagrabo infamia ni quid excogitavero
Ante prælectionem mox aggrediendam mihi. Ubi liber?
Ubi chartæ? ubi pugillares? ubi stilus quo possim scribere
Casum sophisticum? . . .
. . . . Putant argumentum semper
Valere in barbara. Ego totis dentibus contra
Pileum locum tenentem eorum sic arguo. Omnis

p. 110.) Fieri potest ut Logodædali fabula, post hanc fabulam, ob iram regis territis etiamnunc scholasticis, acta fuerit.

1. Fol. 103.
2. Cf. Textoris dialogos, fol. 211.

Homo est animal vel fanellus. Omne album est
Homo vel fanellus. Consequentia non valet et
Tamen arguitur in barbara. Ergo consequentia
In barbara non semper bona. Hoc negas?
. . . Ha! ha! jam tu taces? Ego bene
Sciebam quod ego facerem te quinaudum[1].

Ne putes hoc in omnes generatim insulsos logodædalos aut uxorios rhetores dici : hic mihi videtur agi de certis præceptoribus qui Burdigalam, anno 1533, Tarta duce, petiverunt, ut scitur. De quibus jam in prologo incertus auctor :

Quare rixantes Naphlæus pulsat ab urbe
Exsilio hosque alio censor abire jubet.
Rhetora turpe quod est gestare cupidinis umbram,
Barbariem studiis quodque sophista serit.
Subveniet miseris verum Rhamnusia, quando
His Tartesiacas porriget ipsa manus.

Nec desunt malevolentiæ in collegas aut in æmulos auctorum nostrorum exempla. Quid dicam de his ludis, ubi spectantibus ac plaudentibus Aristoteleis, Ramus omni ludibrio et convicii genere (anno 1544), affectus fuit?[2] Anno 1564, in jesuitas, quod Parisiensi Universitati æmulabantur, parata fuerunt dramata, quæ tamen in scenam non inducta sunt, ut patet ex epistola *Edmundi Hagii jesuitæ ad jesuitam* : « Parabantur in duobus collegiis comœdiæ et tragœdiæ (quanquam ego non intelligam quo pacto abjecta humilitas jesuitarum cothurno tragico convenire possit): res tamen in pro-

1. Dialogus Sophistici, etc., fol. 109.
2. Talæus apud Waddingt. Ramum, p. 30.

cinctu erat : tum ecce tibi procurator regius qui ad se vocat istorum collegiorum gymnasiarchas eosque graviter increpat... irent itaque et sua illa proscenia atque theatra jam instructa demolirentur. Paruerunt illi tametsi inviti. Nos procuratori regio, etsi alias frequenter sumus locuti, ei de hoc negotio ne verbum quidem fecimus unquam nec eramus etiam facturi[1]. »

Sic omnia quæ Parisiensem Academiam movebant pulpitis dabantur[2], ita ut alendis suppeterent annua comœdiis : sed magis ac magis publicarum rerum censura in gymnasiis coercita, facetiæ, domesticis argumentis contentæ in diem obscuriores factæ sunt. Tandem, ut Bulæus ait, « ea omnia sublata sunt anno 1598 ultima reformatione Facultatis Artium (art. 35), injunctumque collegiorum præfectis ut caverent ne satiræ aut alii ludi latini gallicive exhiberentur quibus lascivia, petulantia, procacitas excitetur, aut contumeliæ, convicia aut maledicta in quemquam publicum ordinem contineantur[3]. »

Quod ad reliquam Europam attinet, satiræ præsertim in Anglia, Germania atque Flandria inveniuntur. Hispanis comica quædam sine aculeo, e sacris ducta historiis, mixtaque latino necnon vernaculo sermone placuisse videntur[4]. Apud Italos nihil memoria dignum nobis occurrit.

1. Bulæus VI, p. 589-590.
2. V. Comœdiam descriptam apud Quich. *Hist. de Sainte-Barbe* — V. in Ms. 8439 *Lipocordulum*, etc.
3. Bul., *de Patronis*, etc., p. 122-123.
4. V. Gayangi Catalogum apud Ticknor.

In Anglia et Germania religiosis novitatibus plerumque facetiæ alebantur. Quod docent, apud Anglos, in Lutherum *Moralitas*, in scenam anno 1529 inducta[1], apud Germanos autem Pammachii tragœdiæ, ex anno 1538 ad annum 1552 typis mandatæ[2]. In Anglia talibus ludis anno 1543 et quibuscunque ludis anno 1545[3] ut esset finis edictum. In Germania hæ satiræ adeo non in pulpita prodibant ut clam legerentur, non solumque a Catholicis sed etiam a timidis Lutheranis delerentur[4].

Flandria jamdudum jocosis et satiricis comœdiis notescebat quorum auctores e rhetorica nomen ducebant. Apud Batavos, Trajecti ad Rhenum, Hieronymita Macropedius, de quo antea, quum contenderet et candide quidem se adolescentibus optime consulere, seque in hac arte Capnionis discipulum profiteretur, Aristophanicæ comœdiæ mores (quod a Capnionis ingenio maxime abhorrebat), in scenam induxit. Sæpe enim, ne ab eo in mulieres dicta repetam, municipes suos magistra-

1. Hallam, I, p. 444.

2. Catal. *Soleinne.*

3. Hall. I, p. 144. Viguere tamen in anglicis collegiis comœdiæ quod non solum ex Catal. *de Soleinne* cognoscere licet, sed imprimis ex Anglicarum comœdiarum serie in Bibl. dicta *de l'Arsenal* servatarum, inter quas notabiles mihi visæ sunt: 1o *Loïola*, « coram Academicis febr. 28 1622 et coram rege Jacobo martii 12 eodem anno actus. » 2o « Paria acta coram sereniss. rege Carolo authore Tho. Vincent Trin. colleg. socio. Londini, A. Crooke, 1648. » Sed nihil hic de his dicendum utpote in sexto decimo sæculo actis.

4. V. et Frischlini *Phasma.*

tus ac sacerdotes derisit. Idem scholasticos in tabernis cum meretricibus potantes ostendit. Cujus non prætermittendi prologi, in quibus adversarios impugnat, utpote ausos dixisse actas ab eo fuisse quæ moribus obessent comœdias.

Mensis agitur duodecimus, quod ultimos
Exhibuimus de more ludos scenicos.
Cujus rei explicabo causam duplicem.
Anno fuere superiori malevoli
Qui garrientes publice et privatim, eo
Dementiæ venere, ut et blateraverint,
Nos quoslibet tum ecclesiasticos viros
Tum sæculares præsides taxare, ad hæc
Veterem instituere denuo comœdiam...
Sed et alii fuere qui adolescentulis
Mage obesse quam prodesse ludos scenicos
Contenderint quod ex theatro (ut plurimum)
Vel proniores carnis ad lasciviam
Evaserint, vel egerint licentius,
Vel vixerint protervius, quasi vitium
Non indoli hominis insitum, sed ex iis
Tantummodo quæ agi videntur, pullulet.
Plus gratiæ et probitatis (ausim dicere)
Deprendi in iis qui libere et feliciter
Egere ludos in theatro scenicos
Quam in iis frequenter qui (perinde ad lyram
Asini) ob stupiditatem vel ignorantiam
Rebus gerendis sunt inepti dextere...
Cæterum ubi vidimus gravissimis viris
Doctisque nostrum displicere silentium,
Decrevimus jocos dolosque Bassari
Vobis modo exhibere festivissimos,
Qui Præsidem et Pastorem et alios ad sua

Ipsorum edenda convocavit fercula.
Videte dum ne præsidis vocabulo
Præfectum habendum existimetis urbicum.
Pagana, agraria, rudia erunt quæ agenda sunt[1].

Hæc anno 1541 typis mandata. Sed, multis annis antea, auctore, ut ipse dixit, admodum adolescente, in scenam inducta fuerant. Corrumpi vero ab ipsis præceptoribus, prava Plauti Aristophanisque imitatione adolescentium mores, hominum animi non diu ferre poterant. Vidimus apud Gallos, Britannos, Germanos, a regibus contra ejusmodi facetias sævitum esse; at in Batavia, rem humano genere digniorem, privatus et solus homo non timuit adversus improbam præceptorum consuetudinem insurgere ac pectore indignanti emittere Juvenalis versus:

Maxima debetur puero reverentia; si quid
Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos.

At fallor: fidenti quidem sed non minus urbana voce locutus est, vir hodie ignotus cui tamen in sexto decimo sæculo nunquam non occurritur quotiescunque utilibus sed ingloriis rebus est incumbendum. Ille est

1. Bassari Prologus. — Sibi magistrum fuisse in comica arte Capnionem sic Macropedius profitetur « qui (Capnio), præter hoc quod linguam hebraicam primus Germaniæ invexit, etiam collapsum prorsum artificium comicum primus instauravit. Is mihi primus (ut verum fatear) ausam scribendi dedit; is me primus excitavit. Si præter eum alii ante me scripserint nescio, hoc scio quod alios non viderim. » (Rebellium et Alutæ præfatio.)

Cornelius Crocus[1] qui anno 1535 *Josephi*[2] sui præfatione morum eloquenter causam egit, atque quum nullo modo possent adolescentes sine ludis vivere, christianas inducere tragœdias docuit, doctos viros ad similia cohortans suo Josepho « ad christianæ juventutis institutionem » inscripto.

Laudandæ certe pietatis in adolescentes hominem, sed quo primum auctore collegiorum fabulæ tabescere ut ita dicam cœperunt, quum, carpendi non jam mores his essent, et « timor, ira, voluptas, quidquid agunt ho-

1. Qui *farraginem sordidorum verborum* scribendo (apud Gryphium, 1548), repurgandæ in XVI^{mo} sæculo latinæ linguæ profuit.

2. « Comœdia sacra cui titulus Joseph, ad christianæ juventu-
« tis institutionem... nunc primum et scripta et edita per Corne-
« lium Crocum Amsterodami ludimagistrum. — Abstine sus non
« tibi spiro. Antverpiæ, 1538. »

« Acta sacræ dedicationis feriis quum et supplicatum est, ob clarificatum domini Jesu nomen inter gentes, divina C. M. in Aphrica victoria... post frustratam ac labascentem, singulari Dei optimi beneficio, diutinam lutheranæ hæresios tyrannidem, a. 1535. Egere ingenui adolescentuli etc. Edita M. Cornelio Dolbio prætore orthodoxæ fidei observantissimo. »

Invitatio

Eho viator, ni molestum sit tibi
Paulisper heic astare vel morarier,
Iambicos quæso hos legas senarios
Novos, voluptatem novam qui nuntiant.
Perhendie, hora tertia, in foro, bonis
Pubes avibus Æmstelredama aget sacram,
Novamque, nec visam prius comœdiam;
Sensu, lepore, argutiis bellissimam,
Veteres sed absit invidia, quæ fabulas,
Pudore, religione, sanctimonia
Christoque dignis anteit sermonibus...
Si judicabis in tuam fore rem, ut bonas

mines, harum farrago libelli, » curante pio jesuita e nostris comœdiis expelleretur.

Ab eo primum, ut ipse ait, christianas tunc tragœdias excogitatas fuisse nescio an non omnes consentiant: mihi tamen intentissima cupiditate rem conquirenti et insectanti nullæ tales ante illum ex renovatis litteris apparuerunt. Nam de *Mysteriis* nihil agitur quippe tunc a doctis hominibus contemptis [1]. Hæ tragœdiæ actibus ac scenis dividebantur, iambicis trimetris scribebantur, ad imitationem antiquorum dramatum (citra

Bene colloces horas, adesto tempori
Et arbiter nostræ benignus opellulæ,
Et candidus spectator actiunculæ.

Quædam de præfatione excerpenda.

« Lectorem admonuerim ut subinde titulum legat, meminerítque eum, non comœdiam tantum sed eam sacram promittere. Volui equidem anser strepere inter olores, ut audacia mea doctiorum segnitiem exstimularem, cujusmodi haud scio an unquam copiosior, quam hoc ævo fuerit proventus : quare sæpe mecum stomachari soleo, tam salutarem operam sic jacere neglectam. Sunt in propinquo hic Cornelius Grapheus, etc., etc., quos omnes equidem in hoc nomino, ut publice provocati, adesse tam pio negotio ne graventur... Neque vero novum quis putet esse quod moneo, antiquum fuit christianorum studium sacra poematiis celebrare. » Hic Gregorio Nazianseno aliisque commemoratis addit : « Comœdias item et tragœdias, Menandrum, Euripidem imitatus, ex divina scriptura sumptis argumentis, Stephanus etiam quidam de Christi cruciatu tragœdiam cecinisse memoratur. »

1. *Mysteria* imitatus est ante annum 1531 Barptolæmeus Lochiensis benedictinus *Christo Xylonico* quem non agendum sed tantummodo legendum dedisse mihi videtur. Nullus enim Prologus. Primus actus constat immenso Christi soliloquio per tres et viginti paginas exporrecto, etc., etc. (Nic. Barpt. Loch. Chr. Xyl, Parisiis, ex officina Simonis Colinæi, 1531.)

argumentum) effingebantur. Nec ullo modo Gnaphæi *Acolastus*[1] seu Prodigus Filius (1529) afferri potest, quippe inhonestus magna ex parte ludus, unus ex his in quos Cornelius Crocus insurrexerat.

At post Josephum innumera ut ita dicam undique exoriuntur e sacris historiis ducta dramata, quæ non minus temporum gravitati quam Croci exemplo tribuenda esse fatemur. Hinc et ludimagistri Petri Papei Samarites in Flandria Menini actus (1537), et J. Sapidi Surrectio Lazari (1539) Argentorati, in novo litterarum ludo auspiceque Jacobo Sturmio acta[2]; hinc Cantabrigiæ fabula

1. « Comœdia Acolasti titulo inscripta, de Filio Prodigo authore Gulielmo Cnaphæo, gymnasiarcha Hagiensi. » Hic adeo non tragœdiæ christianæ restituendæ incumbit ut comicæ poesi curam dare se profiteatur, quod ex præfatione videre licet : « Quum sint, mi Sartori, hoc nostro tam docto sæculo viri egregie docti qui omne disciplinarum genus tractent, versent et excolant, demiror poesim comicam sic jacere neglectam, sic porro intactam relinqui, tanquam res sit inimitabilis, et cui opera parum utiliter collocetur, » etc.

Inter personas sunt leno, meretrix, scurra, parasitus. In Actus III, sc. x, Acolastus a Laide dum ei blanditur, expilatur. Mihi videtur Cnaphæi fabulam Gallica Pueri Prodigi moralitas imitata, pluribus tamen mutatis. Ut scitur anno 1564, A. Tiron eumdem Acolastum gallice vertit, sed prosa oratione.

2. « Anabion sive Lazarus redivivus, comœdia nova et sacra Joanne Sapido Selestadiensi autore, 1539. » Acta ludis vernis, ad idus maias, Jacobo Sturmio scholarcha. De qua et auctor « Huc respiciebam, ut novo litterarum ludo quem prudentissimus florentissimæ Argentoratensis reipublicæ senatus proximo abhinc anno instituit novam sacræ materiæ comœdiam utcunque adornarem. » Idem in prologo, timens ne multi eum sacrilegi reum clamitent quod comicis modis sacras res tradiderit hæc addit :

quædam e Judicum libro ducta (1546)[1] : hinc multæ ipsius Macropedii nunc sacræ fabulæ, hinc præsertim Buchanani Jephte atque Joannes Baptista (1539-43) quibus in Galliam reducimur atque ad hujus curæ metam[2].

Notum est fuisse tunc temporis Burdigalæ clarissimum gymnasium in quo studia a Gouvea renovata florebant. Hic quoque facetiæ, hic in facetias provincialis Parlamenti edicta[3]. Quibus in scholis Buchananus quum doceret (1539-1543) tragœdias conscripsit, quod ipse monet « ut consuetudini scholæ satisfaceret quæ per annos singulos singulas poscebat fabulas » nec non « ut earum actione juventutem ab allegoriis, quibus tunc Gallia vehementer se oblectabat, ad imitationem veterum, qua posset, retraheret[4]. » In Jephtem enim ne alia proferam, atticum leporem misit. Quam longe a mulieribus quas indigne inductas ostendimus distat Jephtes filia,

At facere nos non præter exemplum sciant
Quum prodiere nuper una et altera
Ex litteris sumptæ sacris comœdiæ
Quas exhiberi vidimus magno omnium
Spectantium applausu.

Fieri potest ut comœdiæ ad quas alludit sint et Josephus et Samarites quod tamen asseverare non ausim.

1. Ed. du Meril, p. 37.

2. V. etiam Roilleti Belnensis tres tragœdias id est Petrum, Amana, Catharinam eleganti sermone descriptas (Cl. R. B. varia poemata, Parisiis, 1556). Hic tamen Philanira et latina et gallica (1563 clarior.

3. Gaullieur, *Hist. du collège de Guyenne*, p. 258-9.

4. Georgii Buchanani vita ab ipso scripta (B. Opp. Lugduni Bat., 1725, t. I).

quum hæc ab Euripide feliciter mutuata dicit ad matrem:

quam parenti patriæque debeo
Animam libenter reddo et illud ultimum
Nil postulatura, genitrix, posthac, rogo
Ne quid patri, causa mea, succenseas.

Nonne jam Racinianum aliquid lucet[1]?

Dum græca Buchananus imitabatur, antiquorum argumentorum tragœdiæ multis in locis agebantur, magis ac magis aucta Græcarum ac Latinarum litterarum cognitione. Inter quas Salmanticæ Locusta notanda est, anno 1548 acta[2]. Anno autem 1550 Burdigalæ Julium Cæsarem profert in pulpita Muretus, quam tragœdiam, inclytam enim, gallice Grevinus, anno 1560 imitabitur. A Mureto Burdigala et Lutetia, Latina et Gallica conjunguntur, utpote Ronsardi condiscipulo Pleiadique amico. Gallica sermone sed Latina sensibus dramata collegiorum hospitio satis diu utuntur[3]. Sic olim Gallicas moralitates foverat in sinu Navarra. Adeo mansit Gallicis dramatibus impressa non solum Latinæ sed etiam scholasticæ originis nota ut Polyeuctum suum Cornelius Buchanani tragœdiarum auctoritate non dedignatus sit tueri[4].

1. V. 1268-71.

2. Ed. du Méril, p. 37.

3. Notum est in collegiis *de Coqueret* ac *de Boncourt* acta fuisse Jodelli Baïfiique dramata et Garnerii tragœdiis non semel collegia hospitium præbuisse. V. Hallam, II, p. 263. — V. E. Chasles *la Comédie en France au* XVI*e* *siècle*, p. 75.

4. « L'illustre Grotius a mis sur la scène la Passion même de Jésus-Christ et l'histoire de Joseph; et le savant Buchanan a fait la même chose de celle de Jephté et de la mort de saint Jean-Baptiste. C'est sur ces exemples que j'ai hasardé ce poëme. » (Examen de Polyeucte.)

Sic per varias fortunas multis sæculis stetit gymnasiorum comœdia quæ apud Gallos præsertim Navarram ut præclarissimam sedem incoluit, Textorisque non arte quidem sed vi et impetu insignis fuit. Nec mirum si Latina dramata viguerint in hominum multitudine Latino sermone quotidie utentium. Quum enim Latina carmina, Latinas historias scriberent et legerent, Latinas in ecclesiis conciones audirent, quî Latinis comœdiis caruissent, quum ægre talibus spectaculis abstineat humanum genus? Tamdiu hæc ars in collegiis floruit, quamdiu litteræ a monachis aut professoribus aut præsertim a doctissimis viris procul ab eleganti vita cultæ fuerunt. Sed quum matronæ in quas toties Latinarum fabularum auctores exarserant vernaculis litteris præesse cœperunt, quumque, regnante Henrico quarto, publicarum rerum censura interdictum fuisset, effœta deinceps reptavit in umbra collegiorum apud Gallos comœdia, de qua jam nihil dicendum.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Paris. in Sorbona,
a. d. VIII Kal. Mart. an. MDCCCLXXVIII.
Facultatis Litter. in Acad. Paris. Decanus
H. WALLON.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,
A. MOURIER.